2.1.6

216

BIBLIOTECA NAZ
XXVI*
A
31.32.
NAPOLI

116
B
92

116
B
91

Digitized by Google

[illegible]

IO. MARTINI CHLADENII

OPVSCVLA ACADEMICA

VARII GENERIS.

VOLVMEN PRIMVM

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

LIPSIAE

Sumptibus HAEREDVM LANCKISIANORVM

ANNO MDCCL.

Digitized by Google

PERILLVSTRI

ATQVE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

IOANNI CHRISTIANO AB HENNICKE,

DYNASTAE IN WIEDERAV etc.

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO POLONIARVM REGI ET ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS SANCTIORIBVS, CAMERAE REDITVVM REGIORVM VICEPRAESIDI, CAMERAE EPISCOPATVS NVMBVRGENSIS ET MARTISBVRGENSIS DIRECTORI

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO.

PERILLVSTRIS

ATQVE

EXCELLENTISSIME DOMINE,

DOMINE GRATIOSISSIME.

*Q*VAE *ſumma Saxoniae noſtrae longe lateque praedicatur felicitas, quod ſub* INDVLGENTISSIMO PRINCIPE *clementiſſime regatur, huius vberrimis fructibus ſinguli ciues eo facilius*

cilius perfruuntur, quo magis Excellentiſſimi, quibus ſumma rerum permiſſa eſt, ſtatus Miniſtri, diuinos principis ſui mores imitantur. Seruat ſibi quidem PATER PATRIAE, *nullique communicatum tuetur* Optimi *nomen, caetera vero optabilia potentiae nomina, benigni, clementis, non ſolum Purpuratis Suis non inuidet, ſed etiam hos maxime, qui iſtis nominibus delectantur, ad gubernacula reipublicae tractanda admouendos ſtatuit. In* TE, PERILLVSTRIS *atque* EXCELLENTISSIME DOMINE, *demiſſe intuens, felicitatis, qua patria mea*

gaudet, recordor, cum in Vultu TVO *quaeuis bene ſperandi ſigna, multosque benigniſſimae voluntatis radios, deprehendo. Quamuis enim tot vndique, ac tantis, virtutibus fulges, vt quisque ad* TE *accedens, quae miretur, quae ſuſpiciat, quae veneretur, plurima inueniat, me tamen libellum* TIBI *academicum, non ſine quodam timoris ſenſu, offerentem, inprimis* TVA *Indulgentia iuuat, quae non ſolum audenti veniam, ſed etiam petenti auxilium, pollicetur. Noſti quippe,* MAECENAS, *quam exiles ſint hominum literis deditorum ſpes, niſi fortunarum ſuarum ſtatorem inueniant, cuius, veluti*

Numi-

Numinis ſui, in conſpectu cum ſunt conſtituti, tantum hilari eius, et ad gratiam flexo, vultu recreantur, quantum illuſtri illius dignitate in admirationem rapiuntur. Non dubito igitur fore, vt pietati meae, quae in TVO *ſplendore firmum ſibi praeſidium quaerit, gratioſe annuas, et, quemadmodum vniuerſae Saxoniae benigniſſima* TVA *voluntate prodes, ſic mihi, leuiſſimum hoc opuſculum non dedignatus, aliquam inexhauſtae* TVAE *benefaciendi cupiditatis particulam indulgeas. Faxit ſummum Numen, vt quae in patriam ab eminenti* TVA *Sapientia dema-*

nare bona vidimus, atque ſenſimus ſimul cum felicitatis TVAE *incrementis, indies maiora experiamur, et quam diutiſſime duratura.*

PERILLVSTRIS

ATQVE

EXCELLENTISSIME DOMINE

PERILLVSTRIS TVAE EXCELLENTIAE

CLIENS HVMILLIMVS

IOANNES MARTINVS CHLADENIVS.

LECTO-

LECTORI BENEVOLOS.

HAc ſcilicet lege in dulciſſimam literatae reipublicae ſocietatem adoptamur, vt proferendis diſciplinarum limitibus, perpoliendisque iis diſciplinarum partibus, quas incultas a maioribus accepimus, omnes ingenii neruos intendamus, ac profligato turpi otio, quicquid facultatum menti noſtrae ineſt, continua exercitatione a torpore retrahamus. Vrgens ſuſcipimus onus, bonis literis vitam operamque noſtram conſecrantes, quippe quae tenebrarum impatientes in lucem prodire, ac plurimorum per ora volitare geſtiunt, obſcuram vero diligentiam, et in ſcriniis ſemper deliteſcentem, veluti auctoritate ſua indignam aſpernantur. Et qua demum ratione conſtabit, muſeum noſtrum, in quo vitam tranſigimus, ſapientiae doctrinaeque officinam referre, niſi opus ita ferueat, vt ex abdito noſtro receſſu, identidem, luculentum quoddam diligentiae monumentum prodeat.

Haec, aliaque huius generis, cogitata animo meo tunc obuerſabantur, cum certum, de colligendis hiſce in vnum volumen opuſculis, conſilium, ponderatis in vtramque partem rationum momentis, capiebam. Etſi enim pleraque hic inuenias, quae iam ante ab eruditis paſſim lecta, et, pro inſigni eorum humanitate, probata fuerint, neque metuendum ſit, ne libelli, quae ſinguli, ſi non magnam, certe aliqualem, laudem conſecuti ſunt, nouo ſuo habitu, mutata veluti ſubito perſona, lectores offendant, non tamen procul omni periculo, agmine facto, in publicum prodire poſſe mihi videbantur. Multum intereſſe noui, vnum doctrinae ſpecimen, an vero plura ac varia, acutis legentium oculis, ſimul, ſubiiciantur, cum plerumque hominum mores ita ſint comparati, vt in oblato vno opere, huius potius argumentum, quam ſcriptoris animum, in collectis vero eiusdem autoris ſcriptis, huius ingenium magis, quam res ab ipſo traditas inſpicere ſoleant. Quare hanc mihi ſortem neceſſario ſubeundam eſſe praeuidi, vt ſi cunctae, diuerſis temporum interuallis, varioque

in

in doctrinae genere, a me editae ſcriptiones in faſciculum redactae proſtarent, ex his poſtea illi, in quorum manibus verſarentur, de me ſtudiisque meis, atque ingenii viribus, iudicium ſint laturi, cuius ſeueritatem, vti non extimeſcendam, ita neque temere negligendam, neque audaciori conatu euocandam eſſe, iudicabam. Haeſi igitur quadantenus dubius, parumque abfuit, quin declinandi, quod mea ſponte adire mihi videbar, periculi cupiditate, probatum paulo ante conſilium damnarem, collectasque iam ſchedas, et in ordinem diſpoſitas, mutata voluntate, disiicerem.

Vicit tamen, propoſitique tenacem me reddidit, perſonae, quam hucusque agere mihi licuit, acrior conſideratio. Qui enim ad humaniores diuinasque literas tractandas et in Academia docendas, memet ipſe ab ephebis compoſui, huiusque prouinciae ſuſtinendae periculum per annos haud paucos, in alma Leucorea iam feci, ſi, vt orbi literato de vitae meae rationibus conſtet, allaboro, non vanitati me litare, ſed quandam officio-

officiorum partem exſequi, aequi rerum iudices haud dubie exiſtimabunt. Praeterea cum cultum literarum ſtatoribus, pietatem fautoribus, amicis obſequium praeſtare, ad eamque rem gerendam expeditum calamum habere, ita culpa careat, vt in magna potius laude ponatur, non apparet, quid vitii habeat, ſi iſta recti ingenii documenta, ob molis ſuae tenuitatem forte mox peritura, ab interitu vindicare, pluribusque literarum cultoribus lectitanda porrigere, annitamur. Quae vero ad incrementa ſcientiarum aliquam, quantumuis leuem, ſymbolam afferunt meditationes, eo rectius vice plus ſimplici proferuntur, diſcentibusque tantum non obtruduntur, quo crebriori repetitione opus habent, vt ad omnium notitiam perferantur, atque in arctiorem veritatum compertarum circulum ab eruditis recipiantur.

Dummodo autem, Lector, toti meorum ſcriptorum collectioni non inuideas, nihil iam de ſingulis eius partibus metuo, et, ſi ex his meum philoſophandi, iudicandi, ſcribendique morem, aeſtimare velis, non valde

repu-

repugno. Reperies philologicas diſſertationes duas, multiplicem Scholiorum Graecorum in re literaria vſum explicantes, in quibus, cum primum ſcribendi experimentum ante nouem annos darem, argumentum, quod mihi ſumſeram, non infeliciter pertractaſſe doctiſſimis quibusdam viris viſus ſum. Reperies porro varia ſcripta ad potiores Philoſophiae partes ſpectantia, in quibus definitionum, ac demonſtrationum, recens conditarum exempla haud inepta deprehendes. Certe *poſſeſſionis* notionem et ſpecies, nec non his affines *occupationis* et *traditionis* notiones, primus, quod ſcio, ad diſtinctam et philoſophicam cognitionem reuocaui, ita vt ex datis definitionibus implicatae quaeſtiones facile ſoluantur, id quod certiſſimum diſtinctae cognitionis indicium Leibnitius eſſe iudicauit. Nec vtilitate carent, quae in medium protuli, de ſublimi in ſcientiis Philoſophemata, vnde et dari quid ſublime in ſcientiis, et via ad ſubliminores doctrinas apprehendendas, demonſtratiua ratione pateſcit, quorum neutrum

adhuc

adhuc in vulgus ſatis probatur, cum de rebus Philoſophicis nemo non iudicium ſibi ſumat, et haud pauci omnes doctrinas rideant, ſi non ita planae ſint, vt a quouis plebeio, et ſemiſomno, homine capi queant. Diſſertatio, qua ſtatus hominum ciuilis, ſiue ſocialis, cum ſpatio comparatur, dogmatica ſimul et Hermeneutica eſt, exemplum exhibens, qua ratione autorum dicta extra nexum ſyſtematicum propoſita, et, quod plerumque accedit, ex notionibus confuſis deducta, interpretari, et illam ex neglecta methodi luce oriundam obſcuritatem, per iuſtam notionum Analyſin, tollere debeamus. Sententias porro Leibnitianas, ex quibus nihil, praeter collectionis induſtriam mihi vindico, lecturis non iniucundas fore ſpero, quippe cum Thuanis, Valeſianis, Sorberianis, aliisque huius generis libellis, fere comparandas, niſi quod *Leibnitiana* acute dicta, quo rariores, ſales eo crebriores, et grauiores, doctrinas contineant. Sanctiorem diſciplinarum Theologicarum campum ſcribendo bis ingreſſus ſum, tunc partim, cum Anti-

Antiquitatum Eccleſiaſticarum in Theologiam, hinc dogmaticam, hinc moralem, ipſamque Theologi vitam, influxum oſtenderem, partim cum Politicae, (quam Ciuilitatem Quintilianus appellat) ſacrae ideam, paulo quam a Schomero olim factum erat, latius diductam exhiberem. Sequuntur alia ſcripta, quibus obſequium Patronis et amicis potius probare, quam ad culturam ſcientiarum ſcribere, annisus ſum, eo tamen temperamento vſus, vt ſi non doctrinae, pii certe, amicitiaeque iura cuſtodientis, animi indicia in illis quam plurima exſtarent. Ex eodem genere eſt id, quod nunc primum prodit, Elogium Siberi, viri multis ſuis in Eccleſiam, et rem literariam, meritis conſpicui, mihi vero non magis neceſſitudinis, quam amoris, et bonae exiſtimationis, vinculo ita coniuncti, vt, dum viueret, non ſolum plura in me beneficia conferret, ſed et de me adiuncto, aut ſucceſſore, in munere Profeſſorio, poſcendo, conſilia, paulo ante beatum obitum, ſecum agitaret.

Quam igitur lectorum beneuolentiam, magna humaniſſimi noſtri ſeculi opinione ductus, mihi polliceor, hanc, ſi impetrauero, vt aliquo meo iure conſecutus videar, de iis, quae, annuente numinis gratia, porro in vtilitatem publicam editurus ſum, ſcriptis, pauca adiungere, haud alienum duco; de iis tamen ſolum dicam, quae maxime parata, ac propemodum abſoluta, habeo. Eſſe quandam Philoſophiae partem, Hermeneuticam, ſiue interpretandi artem, nemo dubitabit. Hanc tamen, ſi ab Ariſtotele receſſeris, nemo Philoſophorum, niſi quod eam recentiores in Logica attingere ſoleant, paulo plenius tractauit, aut forma, quae diſciplinam decet, tradidit. Conſilium itaque cepi, interpretationes, quarum ars nondum eſt, in artem atque ſcientificam formam redigere. Detecta igitur foecunda interpretationis notione facile intellexi, obſcuritatem librorum, quae quidem interpretatione tolli poteſt, non ſolum a rationibus Grammaticis et Philologicis, ſed ex ipſis rebus haud raro, deriuandam eſſe, vtpote quae non

ſemper

Digitized by Google

ſemper per verba ita exprimi poſſunt, vt ab omnibus cuiuscunque generis lectoribus intelligi queant. Neceſſe igitur habui non ſolum libros, ſed et librorum minimas partes, et locos, ad certas ſpecies, ſiue claſſes, reducere, vt de ſingulis, quaenam ſint obſcuritatis cauſae, qua interpretatione obſcuritas tollenda, quomodo interpretatio inuenienda, et quando impoſſibilis ſit, demonſtratiua ratione doceri potuerit. Quemadmodum nempe in libris dogmaticis quaelibet minutiſſima pars, ſiue ſit notio, ſiue propoſitio, nomen ſuum et ſpeciem a Logicis deſcriptam habet, ad quam referri poteſt, ita quae in Commentariis, (qui interpretationum veluti ſedes ſunt) traduntur notae, obſeruationes et ſcholia, ad certas ſpecies reducta ſiſto. Id igitur ago, vt per regulas Hermeneuticas vniuscuiusque ſcholii aut notae in Commentario comprehenſae, veritas, vſus, neceſſitas, perinde lucide oſtendi poſſit, ſicut in dogmaticis rebus ſingulae propoſitiones, et notiones, ad regularum Logicarum amuſſim exiguntur. Quam multa

 vero,

vero, vt hoc fine potiamur, ante explicanda, definienda, et nouis Theoriis illuſtranda ſint, ex ipſa tractatione, cum lucem adſpexerit, rectiſſime conſtabit, cui, ne quid ſuperficiarium, aut temerarium, admiſceretur, eo facilius caui, quo magis vtrumque ab ingenio meo, totoque vitae genere, abhorret.

Alterum, in quo conficiendo poliendoque multum ſtudii hucusque impendi, opus, Introductio in Theologiam Syſtematicam appellatur, cuius ſummam, et ſcopum, vt lectores eo facilius aſſequantur, recordentur velim, Syſtema Theologicum, pro indole ſcriptorum dogmaticorum, terminis, definitionibus, propoſitionibus atque probationibus, in certa capita, ſiue Locos, digeſtis, contineri. De his igitur rebus cum Logici praecipiant, Logicae cognitionem Theologiam adituris maximopere ſcitu eſſe neceſſariam, vulgo, idque rectiſſime, iudicatur. Plerumque vero et illud, nullo argumento confirmatum, ſumitur, Logica praecepta, quae a Philoſophis in vſum ſui ſyſtematis traduntur, ſufficere ad naturam Syſtematis Theo-

Theologici recte inſpiciendam. Equidem ſi Syſtematis Theologici atque Philoſophici eaedem plane eſſent rationes, et ſi vnus idemque veritates cognoſcendi modus in vtroque locum haberet, dubitandum non eſſet, regulas noſtras Logicas, Syſtemati Philoſophico aptatas, Syſtemati quoque Theologico ſufficere. Sed quis ignorat, varia ac multa in tradendis veritatibus coeleſtibus locum habere, quorum ſimile quid in Syſtemate Philoſophorum non occurrit. Sic, vt exemplis res fiat clarior, veritates reuelatae omnes teſtimoniis ſcripturae, tanquam fulcris, nituntur, ita vt demonſtrationum Theologicarum vltimae praemiſſae ſint verba, ſiue teſtimonia, ſcripturae: Quis vero Philoſophorum dogmata rationis ex teſtimoniis ſatis valide probari vnquam contendit, aut formam huius demonſtrationis deſcripſit? Quod ſi dicas teſtimonia ſcripturae in probatione Theologica eſſe id, quod Philoſophis ſunt Axiomata, verum id quidem eſt, in quantum vtriusque generis propoſitiones demonſtratione non indigent, in eo tamen

nos fallit, quod axiomata Philoſophorum habeant formam determinatam, quam in oraculis ſcripturae raro reperias, quippe ſtilo longe alio conceptis, quam quo libri Philoſophorum concipiuntur. Porro definitiones rerum Theologicarum itidem ex teſtimoniis ſcripturae colligendas eſſe nemo dubitat: quis vero Logicorum hanc definitiones formandi rationem praeceptis ſuis aut explicatam dedit, aut, vt id faceret, officio ſuo ſe adſtringi putauit? Similiter nemo Logicorum de terminis Biblicis et Eccleſiaſticis, de propoſitionibus *κατα το ϱηϑον* et *κατα την διανοιαν*, ſiue immediatis et mediatis, de teſtimoniis, inprimis Claſſicis, de ſede doctrinae, de ſimplicitate et Analogia fidei, ſeu doctrinae, de loco Theologico, eiusque Thetica et Polemica parte, diſſeruit, quae tamen omnia Theologiam tractaturo ſcitu aeque ſunt neceſſaria, ac vulgares notionum, definitionum, propoſitionumque, diuiſiones et regulas in enumerato habere debemus. Nolo plura commemorare, quibus diſcrimen veritatum Philoſophicarum et Theologicarum,

rum, quoad ipſam methodum, Syſtematisque rationem, declarari vberius poſſet. Breuibus vt rem expediam, Syſtematica Theologia, praeterquam, quod regulas Logicas generales ſupponit, ſuas quoque proprias ſibi leges habet. Vidit id quondam praeſtantiſſimus Theologus, Martinus Chemnitius, qui Locis ſuis Theologicis Prolegomena de vſu et vtilitate Locorum Theologicorum praemiſit, quibus, etſi titulus nihil tale promittere videatur, ipſam naturam et leges Theologiae Syſtematicae eruditiſſime explicatas, eamque methodi, qua veritates Theologicae tradendae ſint, ideam dedit, vt nemo non ſublimitatem meditationum, quibus tota tractatio ſcatet, ſine admiratione et voluptate animaduertere poſſit. Quia autem elegantiſſima tractatio hactenus non ſatis crebro lecta, et ad vſum translata videtur, eam ſeparatim, commentario illuſtratam, tanquam Prologum vberioris introductionis in Theologiam Syſtematicam, edere conſtitutum habeo. Cum enim pro praeſenti rei literariae ſtatu, ea, quae Chemnitius ſuccincte, abrupte, et tantum non oraculo-

rum breuitate, ſcripſit, iam et copioſius, et ex definitionibus deducta, tradi poſſint, id diuturno labore conſecutus mihi videor, vt, quae in iſto libello latent regulae, integrae diſciplinae forma in publicum prodire queant.

Plura non addo, ne laudare aut commendare videar, quae promittere ſaltem et volui, et, ceu nondum ad vmbilicum deducta, debui. Eſt autem in ipſis promiſſis quaedam caſtitas tenenda, vt, cum id, quod promiſſum eſt, exhibetur, paulo amplius expectatione hominum reperiatur. Nihil igitur, vt expectetur, cupio, praeterquam ſobria ac vtilis doctrina, quae librorum tam neceſſariae dotes ſunt, vt ſi quid his deſtitutum edamus, non ſolum omni laude excidamus, ſed etiam in omnium bonorum indignationem iuſte incurramus. A me igitur, cui veritate nihil antiquius, nihil ſanctius, eſt, vt huius diuinitati nulla, niſi pura, ſi non ſemper opima, hoſtia offeratur, omni ope annitar.

CON-

)o(

CONSPECTVS
SCRIPTORVM IN HOC LIBRO
COMPREHENSORVM.

Diſſertationes duae de vſu et praeſtantia Scholiorum graecorum, quae exſtant in Poetas.

Diſſertatio Philoſophica de Sublimi in ſcientiis.

Theoria definitionum exemplis potiſſimum Mathematicis illuſtranda. Proluſio ad praelectiones philoſophicas.

Sylloge ſententiarum Leibnitianarum in vſum Collegii diſputatorii.

Status ciuilis cum ſpatio comparatus ad Puffendorffii Ius N. et G. L. I. c. 1. §. 6. 7.

Elementa Theoriae Poſſeſſionis atque dominii.

Carmen

Carmen heroicum.

Idea Ciuilitatis Eccleſiaſticae.

Theologus ex Antiquitate Eccleſiaſtica formatus.

Conſolatio ad Thorſchmidium.

Epiſtolae ad auditores binae.

Elogium Vrbani Godofredi Siberi.

DE

DE PRAESTANTIA ET VSV SCHOLIORVM GRAECORVM QVAE EXSTANT IN POETAS DISSERTATIONES DVAE.

Digitized by Google

PRAEFATIO.

Scholia Graeca, et cumprimis ea, quae in Poetas extant, magno ſemper, inde a reſtauratis literis, apud eruditos in pretio fuiſſe, tum alia multa, tum etiam hoc manifeſto indicio eſſe poteſt, quod multi ſemper, iique doctiſſimi viri, extiterunt, qui ea non ſolum ipſimet diligenter legerunt, ſed etiam, vt ab aliis quoque legerentur, optarunt, ac, vt id quam expeditiſſime fieret, ſedulo operam dederunt. Nemo enim dubitabit, hac fuiſſe mente illos, qui ſtatim, vbi bonae literae paululum in Italia reuiuiſcere coeperant, Scholia ex variis Codicibus collegerunt, ac, prouti tum erant tempora, nitidiſſime ediderunt.

In quibus id maxime laudandum eſt, quod, cum eo tempore, in eoque rei literariae ſtatu, hoc negotium ſuſciperent, vt, ſi vna, emendationem quoque Scholiorum, vtiliumque ab inutilibus ſeparationem ſuſcepiſſent, facile vel bonae notae nonnulla tollere, vel, minus pauca tollendo, parum emendando proficere potuiſſent, omni omnino emendatione abſtinuerint, iudicantes forte, non defuturos aliquando, qui hoc labore, et felicius, et maiori in otio defungerentur. Nec fefellit eos ſententia. Nemo enim fere ab illo tempore aliquam nominis celebritatem inter Criticos adeptus eſt, quin idem vel data opera, vel, occaſione hinc inde ſibi oblata, ſcholia Graeca caſtigarit, emendarit, reſtituerit. Quibus tamen laboribus cum id tantum, vt legi, aut ad ſummum vt recte legi poſſent, efficeretur, alii, vt id quam commodiſſime fieret, operam dederunt. Sic enim Henr. Stephanus ſtilum Scholiaſtarum, quamuis de uno tantum Thucydidis agere videatur, re tamen vera omnium explanauit. (a) *G. F. Trylli-*

(a) *In Paraſc. ad lect. Schol. Thucyd.*

Tryllitius (b) *autem, noſtro tempore, quod multitudo Codicum, non moleſta ſolum, ſed etiam paulo ſumtuoſior videretur, Bibliothecam Scholiaſtarum vniuerſalem non quidem exhibuit, cogitando tamen molitus eſt. Quorum labores ac conatus, etiamſi maxime laudandi ſint, non tamen comparandi videntur cum laboribus Celeb. I. A. Fabricii, viri, de vniuerſa re literaria meritiſſimi. Cuius in Scholia Graeca ſtudium eo plus laudis admirationisque meretur, quo plura et praeſtanda ſuſcepit, et re ipſa praeſtitit. Non enim ſolum Scholia, quae extant, omnia, ſiue iam typis excuſa ſint, ſiue in Bibliothecis adhuc lateant, ac ad quos autores pertineant, recenſuit, eorumque fontes, antiquorum deperditos Commentarios ſeu Scholia enarrando, aperuit, ſed etiam ſingulas editiones notauit, indicesque Autorum in Scholiis excitatorum, exhibuit.* (c) *Quae omnia, partim infinitam lectionem, partim ſummam librorum copiam, partim etiam*

 ſingu-

(b) *Vid. Miſcell. Lipſ. T. II. Obſ. XXXIX.*

(c) *In praeſtantiſſimo Bibliothecae Graecae opere.*

ſingularem diligentiam poſtulant, ita vt vel ſingula vix ab ullo alio praeſtari potuiſſe videantur. Haec eum in finem praefari voluimus, vt iis, quae praeſenti, de praeſtantia et vſu Scholiorum Graecorum, tractationi, exprobrari a maleuolis poſſent, eo melius obuiam iretur. Quod ſi enim quis leuitatem materiae obiiciat, eum allati doctiſſimorum virorum labores ac exempla in pudorem dabunt. Sin vero cui, nos in ea re verſari, diſpliceat, quae ab innumeris varieque iam tractata fuerit, is, multos quidem, ſed diverſa a noſtra ratione, Scholiis Graecis operam dediſſe, ex dictis perdiſcere poterit. Si tandem, id quod ne fiat veremur, quaedam, non pro expectatione expoſita a lectoribus reperiantur, eo facilius veniam impetrabimus, quo difficilius eſt, in re a tot tantisque viris tractata, propthereaque ampliſſima, et non labi quandoque, et non multa ignorare.

DE

DE

PRAESTANTIA ET VSV

SCHOLIORVM GRAECORVM

QVAE

EXSTANT IN POETAS

SIGILLATIM

IN EMENDATIONE AC INTERPRETATIONE POETARVM.

I.

QVod in tanta, ac propemodum infinita, librorum multitudine, perpaucis contigit, vt vel omnibus, vel pleriſque ſaltem, quibus hominibus ſe commendare ſolent, ornamentis gauderent, illud in Scholiis, quae in Poetas Graecos extant, et ſuſpicimus et admiramur. Neque de illis tantum virtutibus loquimur, quae a conſilio ac prudentia ſcriptoris dependent, vt materiae dignitas, orationiſque nitor, ſed de illis etiam, quae fortunae, cauſiſque externis, tan-

tantum debentur. Sunt enim nonnullae, eaeque non contemnendae librorum commendationes, quae quidem induſtria conciliari non poſſunt, ſed ex temporum conditione, hominumque moribus, ſponte ſua enaſcuntur, vt ſi libellus ob autoris famam, longe lateque iam ſparſam, in pretio ſit, aut ſi ea contineat, quae aliunde diſci cognoſcique non poſſunt. Quae quidem, quo difficilius humana opera praeſtari poſſunt, eo magis libros, his ornamentis ſtipatos, extollunt. Scholia vero noſtra, vti in illis inſitis atque natiuis comparandis, autores ſtudioſiſſimos, ita in his externis addendis, rerum omnium dominam, fortunam maxime fauentem habuerunt.

II.

Nam quod ad materiam Scholiorum attinet, ea vel ſola ita comparata eſt, vt eius gratia a plerisque legi debere videantur. Siue enim rerum mirandam varietatem, ſiue ſingularem grauitatem, conſideremus, quantum illis pretium ſtatuendum ſit, facile intelli-

telligitur. Illud enim vel ex perfunctoria eorum lectione patet, non Grammatica tantum a Scholiaſtis tractari atque propinari, ſed Hiſtorica etiam, Geographica, Critica, Antiquitates, Moralia, aliaque, quae recenſere longum foret. At ſingula haec, quantum momenti habeant, quanto ſtudio a ſummis viris tractata, quanto denique cum fructu, tum in Rempublicam, tum etiam in Eccleſiam redundante, ex tenebris eruta ſint, nemini ignotum eſſe poteſt. Et quamuis non omnes bonarum artium partes, in hac antiqua eruditionis officina, ita enim Scholia appellare liceat, aequali vel ſtudio, vel etiam ſucceſſu tractatae ac perpolitae ſint; ſatis tamen eſt, quod vnamquamque earundem, aliqua ſaltem ratione, Scholiaſtarum limam expertam fuiſſe, ſciamus. Multum enim ſe lucratos arbitrantur animi, diſcendi cupiditate flagrantes, ſi vel exigua ſuae ſcientiae hinc inde incrementa, multa licet diuturnaque lectione Scholiorum, ſe cepiſſe ſentiant. Haec autem, quae a Scholiaſtis nobis tradi diximus, quamuis in ſe iam

magna ſint, ex eo tamen adhuc non parum et gratiae, et auctoritatis capiunt, quod ea ratione digeſta, ac in eiusmodi ordinem redacta ſint, vt vna explicationem Poetarum nobis ſiſtant. Si enim hi, quod nemo dubitat, antiquis temporibus, pro optimo eruditionis ſapientiaeque omnis fonte habiti fuerunt, ſi hodieque et vtiliter leguntur, et, ceu priſcae artis monumenta, magna cum diligentia adſeruantur, neceſſe vtique eſt, vt, qui ad illorum ſenſum percipiendum viam pandunt, libri, magno apud eruditos ſint in honore, reliquisque dignitate vel pares, vel etiam ſuperiores habeantur.

III.

Neque a ſtilo, ſcribendique ratione, commendationem aliquam Scholiorum petere dubitamus, non, quod ita comparata ſit, vt futuro oratori et ſcriptori ad imitandum proponi, aut cum aliis dicendi ſcribendique rationibus conferri, et ad eloquentiae regulas exigi poſſit, ſed quod ſingularem, ſibique propriam, & gratiam et grauitatem habeat,

beat. Si enim perpetua diuerſiſſimarum rerum viciſſitudo, ſi grauiſſimarum, iucundiſſimarumque, rerum non rara permixtio, gratiam aliquam habet, quanta in Scholiis Graecis, in quibus haec ſumma ſunt, ineſſe debeat, facile intelligitur. Ad quam accedit vocum Phraſiumque, ſi a paucis illis, quae vel ex arte ἐξηγητικῇ, vel ex ſermone ſeculi, quo Scholiaſtae vixerunt, deſumtae ſunt, receſſeris, facilitas ſimplicitasque, quae tanta eſt, vt, Graecis literis vel mediocriter imbutus, eas legens, haeſitare non poſſit. Grauitas autem dictionis, ex conciſa illa ac pene Laconica breuitate elucet, qua non ſolum, ne quid, quod ad interpretandum non faceret, afferretur, ſed etiam, ne vel verbulum, quod abeſſe poſſet, poneretur, a vetuſtis Scholiaſtis cautum eſt. Teſtis eſt huius rei Henr. Stephanus, (a) qui de Scholiis in Thucydidem (in omnibus cum illis, quae in Poetas extant, conuenientibus) ita iudicat. *Hunc autem ſcholiorum veluti cinnum, inde ortum eſſe arbitror, quod, cum margini*

(a) *In Praefat. ad Thucydidem.*

margini vetuſtiſſimorum Thucydidis exemplarium, in paucos duntaxat locos, enarrationes priſcorum virorum, eorumque doctiſſimorum, breues, vt mos eorum temporum ferebat, adſcriptae eſſent, illorum itidem Codicum margini, qui multis poſt annis deſcripti fuerunt, ſuas adſcribendas eſſe cenſuerant, qui tunc aliquod inter ſuos nomen, ob veteris linguae Graecae cognitionem adepti erant. Nec exprobranda illis eſt earundem rerum frequens repetitio, vtpote quae non Scholiaſtarum dicacitati, ſed collectoris diuerſorum Codicum, eiusdemque tenoris Scholia in vnum congerentis, conſilio tribuenda eſt. Quod vero a ſtricta illa veterum dicendi ratione, recentiorum Graecorum Scholia, cum veteribus vbique fere confuſa, longiſſime recedunt, id non tam ſtudioſi lectoris animum, quam Critici, veterem veterum Scholiorum formam, non vbique videntis, oculum morari cenſemus.

IV.

Accedit ad has Scholiorum commendationes, temporis, quo maxima ex parte condita

dita ſunt, antiquitas, quae non leuioris ſolum momenti librorum, ſed etiam doctrina omni refertiſſimorum ornamentum eſt. Habet enim neſcio quam ad excitandam, videndi legendique priſca monumenta cupidinem, vim, ita vt ſegniſſimo quandoque aliquod harum rerum ſtudium incutere valeat. Praeſertim vero libris Hiſtoricis ex temporis diuturnitate magna accedit autoritas, lubentiusque antiquorum, quam nouorum, fide ſtamus. Nam, quamuis et illi, vt omnia humana, ab erroris et ſuſpicione et macula immunes non ſint, non tamen, vt hi, deſcribentium, ſuaque ex aliorum ſcriptis deſumentium, imprudentiae ſubiecti ſunt. Hiſtoriae etiam non raro, quo ſaepius narrantur, ſcribendoque recenſentur, eo magis a prima ſua forma deflectunt, tandemque in fabulam degenerant. Vnde ſequitur, vt illi narrationi plurimum tribuendum ſit, quae a tempore, quo res geſta eſt, quam proxime abeſt, hoc eſt, antiquiſſimae. His itaque, et, ſi quas alias habet commoditates antiquitas, Scholia in Poetas Graecos excel-

excellere, non ſine ratione aſſerimus. Nec opus eſt, vt ad euincendam eorum antiquitatem, dubiam nonnullorum ſcholiorum, meritoque ſuſpectam, vt Didymi in Homerum, (b) Theonis in Aratum, (c) pro certa amplectamur, cum in ſingulis, quas habemus, Scholiorum collectionibus, magna antiquiſſimorum Scholiorum copia, ſe nobis offerat. Sunt enim, quae hodie extant, non qua materiam ſolum, ſed etiam qua verba externamque formam, ex antiquioribus commentariis, magna ex parte deſumta. Qua in re demonſtranda, non tam argumentis vtar, quae, quod ex hiſtoria Scholiaſtarum paulo altius eſſent repetenda, breuiter exponi non poſſunt, quam exemplis praeſtantiſſimorumque Criticorum teſtimoniis. Prodeat itaque primo loco Guil. Canterus, (d) qui de Scholiaſta Lycophronis ita iudicat: *Vellem equidem exſtarent Theonis in Lycophronem ſcholia, quae laudat*

(b) *Conf. Fabricius Bibl. Gr. L. II. C. III. §. II.*

(c) *Id. L. III. C. XVIII. §. IV.*

(d) *In Praef. ad Comm. in Lycophr.*

laudat Stephanus, vel aliorum in hunc Poetam Commentarii, ex quibus videtur ſuos Tzetzes concinnaſſe. Quae ſententia etiam Ioh. Meurſio (e) arriſit, vnde miror, eum, non perinde vt Canterum, propterea in reprehenſionem Ioh. Potteri incurriſſe, vtpote cui (f) haec ſententia iniurioſa in Tzetzen videtur. Succedat Henricus Stephanus, (g) multis nominibus de re Scholiaſtica bene meritus, qui de Aeſchyli, Euripidis atque Sophoclis Scholiis tale fert iudicium: *Nec enim dubium cuiquam eſſe debet, quin idem his, quod illis* (in Sophoclem) *ac praeſertim iis, quae ſunt in Euripidem, acciderit, vt, cum vndique ſint collecta, doctis antiquorum Annotationibus, recentiorum quorundam deliramenta permixta ſint.* Idem de aliis doctos viros iudicaſſe, obſeruat celeb. Fabricius. (h)

V. Addi

(e) *Vid. Praef. ad Comment. in eundem Poetam.*

(f) *In Praef. ad Comment. in eund.*

(g) *In Notis ad Aeſchylum p. 389. Ed. Stephan. 1557.*

(h) *Bibl. Gr. T. I. L. II. C. XXV. §. VI.*

V.

Addi poteſt his Scholiorum ornamentis aliud, et tale, quod et gratiam eruditorum iis conciliare, et rudes, ad ſcrutandam reconditam in illis doctrinam, allicere poſſe videtur, eorum ſcilicet, a quibus conſcripta ſunt, fama atque eruditionis laus. Solent enim ad libri, cuius nondum ſatis eſt perſpecta praeſtantia, lectionem acceſſuri, non tantum ſuſpicari, ſed certiſſime ſperare, tale fore eius argumentum, quale ab autore illius expectari poſſe iudicant. Nec ea in re librorum, perſona ſuorum autorum ſatis indignorum, multitudine mouemur, vt potius eorum, qui ſemel, vel iure quodam ſuo, vel imprudentum, iisque non raro emendicatis, ſuffragiis, famam eruditionis reportarunt, ſcripta, prae ceteris legi, ac, ceu ſapientiae quendam penum, comparari debere, credamus. Quae quidem praeiudicata opinio, quamuis hominem, bonis literis imbutum, minime deceat, id tamen commodi habet, vt ingenia, vel nullo, vel perexiguo eruditionis verae ſenſu inſtructa, ad lectionem libro-

librorum non raro alliciat, atque ſic, ad imbibendam aliquam doctrinam, veluti cogat. Erit itaque, vt eruditis ingeniis non ingrata, ita mentibus, ex autorum celebritate libros aeſtimantibus, plane proficua commendatio, ſi reſciuerint, ab iis Scholia Graeca eſſe concinnata, qui eruditionis laude, ſuo ſeculo, prae caeteris floruerunt. Quam vero bene de literis meruerint Scholiaſtae, quantumque commodi, ex horum laboribus, in artes atque ſcientias, ante illorum aetatem vel plane ignotas, vel admodum adhuc rudes, redundarit, eleganter Dan. Heinſius (i) docet. *Poſtquam autem,* inquit, *Ariſtarchus, aliique eiusdem temporis illuſtres viri, Ethicam, Politicam, Phyſicam, Aſtrologiam, Geometriam, Geographiam, Medicinae initia, ac Theologiam, quam tunc adhuc* μυθικὴν *dicebant, in Muſaei, Orphei, Lini, Epicharmi, Empedoclis, antiquiſſimorum Philoſophiae autorum enarratione, qui aut ſingulas ſeorſim, ſinguli tractaſſent diſciplinas, aut in vniuerſum omnes, generali opere, quale eſt Homeri-*

B *cum,*

(i) *In diſſ. de verae Criticae apud veteres ortu etc.*

cum, ſparſiſſent, ac adhibuiſſent, maximo ſucceſſu ſibi vindicare coepiſſent; poſtquam extitiſſent iam, qui ἐνστάσεις, λύσεις, συζητήσεις, ἀποφάσεις, quibus omnes in ſcriptorum antiquorum enarrationibus, ſcientias complexi erant, in autores, ac praecipue Poetas, quos, quod omnes diſciplinas coniunxiſſent, in omnibus, vt ſapientum antiquiſſimi, excellerent, πένταθλους eleganter magnus Plato dixit, edidiſſent, multum animi eiusdem artis profeſſoribus acceſſit. Porro, neminem fuiſſe, antiquis temporibus, tam nobilem Philoſophum, quin Poetas commentariis illuſtrarit, idem Heinſius (k) docet: *Caeterum vix dici poteſt, quos, qualesque ex veteribus, Theologiae ſuae myſtas, ac interpretes habuerit Homerus. Quis enim, vt de caeteris ne dicam, Stoicorum fuit, qui non aliquam in hoc muſtaceo laureolam quaeſiuerit.* Poterant plura huius rei afferri teſtimonia, niſi maiorem Scholiaſtarum celebritatem, eſſe crederemus, quam vt multorum teſtimoniis indigeret.

VI. Haec

(k) *loc. cit.*

VI.

Haec vero, etſi minime contemnenda ſunt, ſatisque docent, Scholia Graeca ita comparata eſſe, vt et delectare, et prodeſſe, poſſint, non tamen id efficiunt, vt inter tot innumeros libros, ſtellae maioris inſtar eluceant, oculosque eruditorum, prae caeteris in ſe conuertant, niſi etiam vſum, plane ſingularem, literis humanioribus afferre credantur. Qui, etiamſi, in quibusdam eruditionis partibus, tantus ſit, vt vel leuiter attendentium oculos feriat, in aliis tamen, egregius quidem pariter, ſed non aeque manifeſtus, deprehenditur. Vnde ſequitur, vt ab eo, qui vtrumque recte intellecturus eſt, ſingulae ſpectandae ſint partes, quidue, in vnaquaque, vel amplificanda, vel emendanda valeant, inquirendae. Quod, etiamſi paulo prolixiorem tractationem requirat, non tamen negligendum videtur, cum ea ex re, et, cur ab eruditiſſimis viris, Scholia, tam ſtudioſe lecta, ſummoque in pretio habita ſint, & quo conſilio, quaue ratione, ac a quibus, legi debeant, optime intelligatur.

VII.

Non autem dubito, huius rei demonſtrandae, ab illis artibus, primordia commodiſſime capi, quae olim cum Scholiis arctiſſime coniunctae, imo in iis enatae ac enutritae fuerunt, emendatione nempe ac explanatione Poetarum, praeſertim cum hae, ſi vllae aliae eruditionis partes, Scholiorum ſubſidiis opus habeant, ita, vt qui ad eas perdiſcendas, reliqua, priſci aeui, monumenta excutiunt, ſemetipſos fruſtrari iudicandi ſint, niſi Scholiis Græcis, principem in his locum concedant. Quod, etiamſi vel ex fugitiua eorum lectione, quodammodo intelligi, et ſuſpicando minimum colligi, poſſit, operae tamen pretium videtur, potiores, quibus huic literaturae parti inſeruiant, rationes ſigillatim recenſere, ac quo, Poetam emendaturus ac explicaturus, ſi ad Scholiorum lectionem accedat, oculos conuertere debeat, copioſius docere.

VIII.

Ac, vt de emendatione, primo loco dicamus, non ſimplex, ſed varius ac multiplex,

Scho-

Scholiorum, in ea, vſus ſeſe prodit. Neque eo tantum nomine varium appello, quod, vti mendorum multa dantur genera, ita variae etiam dentur emendationes, Scholiorum ope perficiendae, ſed etiam, quod ad vniuscuiusque mendi ſanationem, diuerſas medelas, ex Scholiorum promptuario, deſumere liceat. In his vero eminet, quod, cum in diiudicandis, circa corruptam lectionem, controuerſiis, primas ſemper partes tenuerint Codices MSS. horum vicem ſaepiſſime ſubeant. Sed et hoc, non vna, ſed varia fit ratione. Primum enim, ipſi, diuerſorum Codicum lectiones, non raro afferunt, vnde, perinde ac ex Codicibus ipſis, optimam eligendi copiam Criticus nanciſcitur. Adducemus huius rei, ex quam plurimis, vnum et item alterum exemplum. Sic ad Theocriti (1) verſum

Ἄλλα τὺ γὰρ δὴ Θύρσι τὰ Δάφνιδος ἄλγεα εἴδες.

Verum, tu enim, o Thyrſi, Daphnidis dolores noſti.

(1) *Eidyll. I. v. 19.*

Scholiaſta monet, Τριχῶς εὕρομεν γεγραμμένον ἐν τοῖς παρ᾽ ἡμῖν ἀντιγράφοις, δηλονότι ἄλγε ἄειδες. καὶ λέγει τὸ ἄειδες ἀντὶ τοῦ λέγοις ἄν, Δωρικῶς. καὶ ὅτι τὺ γὰρ παρέλκει. καὶ ἄλγε᾽ ἄειδε, ἀντὶ τοῦ λέγε. καὶ ἄλγεα εἶδες. ὃ καὶ βέλτιον. Et Scholiaſta Ariſtophanis (m) ad vocem λαβόντες monet, οὕτω κἀν τοῖς παλαιοῖς τῶν ἀντιγράφων εὕρηται, ἵν᾽ ᾖ ὅμοιον τῷ ἄνω τρίτῳ κώλῳ. τὸ δὲ ἦν λάβομεν οὐ πάνυ δόκιμον. Nec non ad vocem βούλημα. (n) βούλευμα μὲν τὸ ἴδιον, βούλημα δὲ τοῦ δημοσίου ἡ γνώμη, καὶ τοῖ ἐν τοῖς παλαιοῖς τῶν Σοφοκλείων ἀντιγράφων ἢ καὶ τὸ βούλημ᾽ ὡς ἐπ᾽ Ἀργείοις τὸ δ᾽ ἦν, εὕρηται, οὐχὶ βούλευμα. Ex quibus, duobus poſtremis locis, et illud colligitur, Scholiaſtas, non qualescunque, ſed veteres cum primis Codices conſuluiſſe, eoque magis, noſtram Codicum penuriam, hac re, quandoque ſubleuari.

IX.

Dein, cum in emendatione, veterum citationes, loco Codicum MSS. teſte Clerico

(m) *Ad Plutum Act. II. Sc. I.*

(n) *l. c. Act. II. Sc. V.*

rico, (o) eſſe poſſint ac debeant, magnus omnino Scholiorum, in eruendis genuinis lectionibus, vſus eſſe debet, cum ſaepiſſime, non tantum phraſes, ſed etiam integras ῥύσεις, ex Poetis afferre ſoleant. Et, ea in re, alios ſcriptores, longe antecedunt, qui, licet perinde vt Scholiaſtae, ad Poetarum ſcripta prouocant, tamen id, neque tam crebro, quam illi, faciunt, neque ita, vt ſaepius eorum fide ſtare liceat, cum non raro, quod ſenſui magis, quam verbis Poetae exprimendis, ſtuderent, memoriaque potius, quam Codice, in allegando vterentur, a vera lectione longius receſſerint. Contra Scholiaſtae, ea ratione plerumque Poetarum verſus allegant, vt ſi quicquam, vel in ordine vocum, vel in vocibus ipſis mutaretur, nullus dicto probandi neruus, nullus citationi vſus, ineſſet. Siue enim ſignificationem vocis, ſiue conſtructionis ordinem, ſiue denique, ſyllabae alicuius quantitatem, demonſtrare voluerint, nihil horum confeciſſent, niſi, et easdem voces, et eundem vocum or-

B 4 dinem,

(o) *A. C. P. III. S. I. C. XVII. 37. 40.*

dinem, retinuiſſent. Quamuis caeterum negari non poſſit, et hos quandoque, Poetarum dicta citantes, ex memoria, ea depromſiſſe, neglecta codicis euolutione, quod ſatis ex eo intelligitur, ſi vel Poetae nomen reticeant, vti Scholiaſta Ariſtophanis, (p) id fecit, dicens, *καὶ τὶς τῶν κωμικῶν φησι,* vel alia ratione, locum, quo illud, quod proferunt, reperiatur, ſibi non ſuccurriſſe, prodant. Eſto ergo, Criticum, et hic, cautionem adhibere debere, ne lectionem pro genuina reputet, quam, ne ille quidem, cuius autoritate ſe ſtare putat, pro tali agnoſceret, ſatis tamen eſt, multa occurrere loca, quae et ſtudioſe inſpecta, et prouide deſcripta, eſſe, circumſtantiae docent, reliqua vero, de quibus, an codicis fide nitantur, dubitari poteſt, ab eiusmodi viris prolata eſſe, qui, id ſibi negotii datum eſſe, credebant, vt Poetae emendatiſſimi legerentur.

X.

Porro, cum ipſae interpretationes, ſynonymicis verbis prolatae, qualis illa vox, ad quam

(p) *Ad Plut. Act. I. Sc. II. ad vocem* τοιχώρυχος.

quam pertinent, eſſe debeat, ſubindicent, nouus Scholiorum in emendando vſus, ex eo enaſcitur, quod, plurimarum vocum explicationes ſuppeditando, de lectione, quam Scholiaſta ſequutus eſt, teſtentur, ſique amiſſa forte ſit, qualis fuerit, lectoribus ſuſpicandi occaſionem praebent. Qui quidem vſus, cum omnino cum illo conueniat, quem Clericus, translationibus et verſionibus adſcribit, (q) iisdem hic cautionibus opus eſſe, manifeſtum eſt, quas Clericus circa illas, in emendandi negotio, adhibendas eſſe praecipit. Quare, his omiſſis, ad exempla progredimur, quorum vnum deſumtum eſt ex Aeſchylo, (r) in quo, cum, iuxta noſtros Codices, legatur

ἀλλ' ἐς τὸ λοιπὸν εἰ τί δὴ λῷον πέλοι

Scholiaſtam tamen non λῷον, ſed ζῷον legiſſe iudicat Henr. Stephanus. (s) *Scholiaſtes,* inquit, *videtur legiſſe* ζῷον *pro* λῷον, *quippe qui ita*

(q) *Clericus l. c.*

(r) *Perſ. p. 150.*

(s) *In nota ad hunc verſum p. 374.*

ita explicat, ἄλλα διὰ τοὺς ζῶντας χρὴ θυσίας ποιεῖν, εἴπου τινὲς εἶεν. Alterum vero ſuppeditat Scholiaſta Pindari, (t) qui

Τέκνον ἀνωδυνίας

non *filium indolentiae*, ſed κατασκευαστὴν, *effectorem* interpretatur, eoque ſe non τέκνον, ſed τέκτον' legiſſe, indicat.

XI.

Addimus, ampliſſimis his emendationis ſubſidiis, aliud, quod itidem Scholiaſtarum diligentiae debetur. Et aequum erat, vt qui, quamuis innocentes, gloſſis ſuis, quas libris adponebant, deſcribentibus, dictantibusque, innumeris in locis, peccandi occaſionem dederant, (u) iidem potiſſimum, qua ratione, ſpurium a genuino, et irreptitium a domeſtico, diſtingui poſſet, docerent, variaque ad debellanda mendorum monſtra, arma ſuppeditarent. Id quod, tum aliis, quas docuimus, rationibus, tum etiam, metri rationes et leges explanando, haud

(t) *Ad Pyth. od. III. 11.*

(u) *Conf. Clericus l. c. P. III. S. I. C. VII.*

haud infeliciter praeſtiterunt. Raro enim contingere potuit, vt vox, quae ex gloſſa in textum irrepſerat, ita cum caeteris in ſocietatem coiret, vt non magis, cum ſenſu orationis, quam metri regulis conueniret, nullaque, aut deficeret ſyllaba, aut abundaret, aut denique non ſatis apta eſſet. Quibus rationibus, permotum eſſe iudico Guil. Canterum, (x) vt, huius rei cognitionem, magnis laudibus extolleret, *ſecundo,* inquiens, *loco, quod hactenus pro difficillimo ac propemodum deſperato fuit habitum, praeſtitimus, vt carminum rationem, in hoc ſcriptore denſiſſimis tenebris inuolutum, clariſſima luce donaremus; quae res, cum per ſe praeclara poteſt haberi, tum ad Poetam recte intelligendum et menda tollenda mirum quantum conducit.* Neque verendum eſt, ne, quod, ob ſyllabae, a metro, diſſonantiam, verſum obelo notare audeamus, in reprehenſionem Criticorum incurramus, tum ob alias cauſſas, tum vero, quod ipſos Scholiaſtas, Criticorum aetate primos, duces auctoresque eius rei habeamus.

(x) *In Proleg. ad Euripid.*

mus. Sic enim Euripidis Scholiaſta, (y) vocem a textu reſecare, non dubitauit, quod, iuxta normam ſyllabarum, abundaret. Cum enim, in codicibus hunc verſum offenderet

οἵαν, οἵαν ἂν σοι λώβαν ἔχθιςαν

Qualem, qualem rurſus tibi noxam infe-ſtiſſimam

lectionem hanc improbat, οἱ γράφοντες inquit λώβαν ἔχθιςαν ἀγνοῦσι τὰ μέτρα, σὺ δὲ μαθὼν μὴ γράφε τοῦτο. δίμετρον γὰρ ὀφείλει εἶναι τὸ κῶλον, ὡς καὶ τὰ λοιπά. διὸ καὶ ἐξεβλήθη παρ' ἐμοῦ, *qui ſcribunt* λώβαν ἔχθιςαν, *metrum non intelligunt, tu vero, de hac re edoctus, noli ita ſcribere: debet enim eſſe quaternarius, vti reliqui. Hinc etiam eieci.* Integri vero commatis, ob eandem rationem, eiecti, exemplum eſt apud Pindarum, (z) vbi ad

Φιλέοντι δὲ μοῖσαι

Amant etiam Muſæ

Demetrius Triclinius, vel alius quidem Grammaticus haec monet: περισσὸν ἦν ἐνταῦθα τὸ

(y) *Ad Hecub. v. 200.*

(z) *Od. Olymp. II. Str.*

θα τὸ κῶλον τό. Φιλέοντι δὲ μοῖσαι. τῶν γὰρ ἄλλων ϛροφῶν καὶ ἀντιϛροφῶν ἀνὰ ιδ᾽ ἐχόυσων κῶλα, ἅυτη μόνη πεντακάδακα εἶχεν, ὅπερ ἦν ἄτοπον. ὀ γὰρ ἐν ἑτέροις τοιοῦτό τι ἕυρηται. διὸ ἐξεβλήθη παρ᾽ ἐμοῦ, ὡς καὶ ἐν τοῖς βιβλίοις τῶν ἄλλων ποιητῶν, πολλὰ περιττὰ ὄντα. ὂιμαι δὲ ὡς ὀυδεὶς ἡμᾶς μέμψαιτο, τοιαῦτα πεπονηκότας, ἀλλ᾽ ἐννοήσας, ὡς ὄυτω ταῦτα βέλτιόν ἐϛιν ἔχειν θαυμάσειεν ἂν μάλιϛα τῆς σπουδῆς. *Abundat hic verſus* Φιλέοντι δὲ μοῖσαι. *Cum enim reliquarum Stropharum ac Antiſtropharum vnaquaeque, quatuordecim verſibus conſtet, haec vna quindecim haberet, quod abſonum eſt. Neque enim in caeteris tale quid reperitur, et hanc ob cauſam eiectus eſt a me, vti in reliquis Poetarum libris, multa, quae ſuperflua erant. Exiſtimo autem, neminem noſtrum hunc laborem aegre laturum, ſed potius omnes, quod melius ſit, haec emendata habere, conſiderantes, noſtram diligentiam admiraturos eſſe.*

XII.

Pertinent haec emendationis ſubſidia, hucdum commemorata, ad voces potiſſimum, phraſes, atque integras ῥύσεις. Quemadmodum

modum vero emendatio, non ad haec ſolum ſpectat, ſed etiam ad interpunctionem ſeu diſtinctionem, ita quaenam, etiam ad hanc emendandam, ex Scholiis Graecis proveniant adiumenta, vlterius diſpiciendum erit. Neque quisquam, hunc Scholiorum vſum, tam leuem iudicabit, vt attentione nulla dignus ſit, qui vnquam apud animum ſuum reputauit, quantum momenti, in interpunctione Poematum, praeſertim Dithyrambicorum, ad ea intelligenda, ſitum ſit. Horum enim autores, dum metro ac grandiloquentiae, nimium ſaepe, ſtuduerunt, a naturali verborum ordine adeo receſſere, vt, quae coniungenda, aut diuellenda ſint, vix diuinando, quandoque aſſequi, aliquis poſſit. Neque etiam hac in re Codices MSS. nos magnopere iuuant, vtpote qui lectorem, plerumque incertiorem, quam ante fuerat, dimittunt. Nam plerique, aut nullas nobis ſiſtunt interpunctiones, aut nimias, aut denique non accurate poſitas, (a) quae omnia, commoda, ex Codicibus expectanda,

(a) *Vid. Montfalconius Palaeogr. Gr. L. I. c. IV.*

da, interuertunt, Criticumque aliunde conſilium petere cogunt. Quis autem credet, ab vllo librorum genere, plus adiumenti expectari poſſe, quam illo, in quo ſenſus Poematum, qui, absque interpunctione, vel nullus, vel admodum dubius eſt, ſolicite inueſtigatur. Vnde, ſi praeſertim et illud in memoriam reuocauerimus, eosdem, qui Scholia Graeca condiderunt, nempe Grammaticos, olim, in gratiam forte rei Scholiaſticae, integros libros, tum de interpunctione in vniuerſum, tum de huius illiuſue Poetae ſpeciatim, conſcripſiſſe, ſequi omnino videtur, vt, Poetam emendaturus, interpunctionis quoque cauſa, Scholia Graeca potisſimum, euoluere debeat.

XIII.

Haec autem, de interpunctione, quandoque ita praecipiunt, vt non tam ingenio, quam attentione, ad eam aſſequendam opus ſit, vt, ſi perſpicuis verbis, qua ratione interpungendus ſit aliquis locus, doceant, aut diuerſas, vnum eundemque locum interpungen-

pungendi, rationes, commemorent, quae tamen, cum non adeo frequenter, ſi ab Euripidaeis Scholiis receſſeris, occurrant, magno vſui, Critico eſſe non poſſunt. Multo autem ſaepius, velut aliud agendo, viam, qua incedendum ſit, monſtrant, ita, vt, niſi ingenium adhibeas, fideliſſimam Scholiaſtae manuductionem, non animaduertas. Neque id vna ratione fit, ſed diuerſa. Ac initio quidem, quando Scholiaſtae, quod creberrime faciunt, integram periodum, ob perturbatum vocum ordinem, non ſatis perſpicuam, vt eo facilius intelligi poſſit, naturali ordini reſtituunt, aut paraphraſi colluſtrant, quamuis de interpunctione nihil dicant, tamen, huius artis perito, digito veluti monſtrant, qua ratione diſtinctionis ſigna, debeant diſponi. Sic, obſcuriſſimis Pindari (b) verſibus, quibus, iudice Clerico, (c) ſumma *ἀκυρολογία* ineſt:

> *Ἄριστον μὲν ὕδωρ. ὁ δὲ*
> *Χρυσὸς, αἰθόμενον πῦρ*

Ἅτε

(b) *Od. Olymp. I. 1 - 4.*
(c) *Art. Crit. P. II. S. I. C. XI. 6.*

Ἅτε διαπρέπει νυ-
κτὶ, μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.
Optima quidem eſt aqua, et
Aurum, ardens ignis
Velut excellit nocte,
Superbas inter diuitias

interpunctio, ſenſui perſpiciendo maxime idonea, adiicietur, ſi Scholiaſtam ſequamur, qui ita voces coordinat, *Ἄριστον μὲν ὕδωρ. ὁ δὲ χρύσος διαπρέπει μεγάνορος ἔξοχα πλούτου ἅτε αἰθόμενον πῦρ νυκτὶ διάδηλόν ἐστι.* Hac enim ratione, vox *διαπρέπει*, a vocibus, quibus interiecta eſt, per diſtinctionis ſignum, ceu aliorſum pertinens, diſtinguetur, quo ipſo etiam magna obſcuritatis pars euaneſcet.

XIV.

Deinde quoque Criticum, interpunctionis ſtudioſum, non parum iuuabunt Scholia, quibus *τὰ ἐν μέσῳ κείμενα, μεταξυλογίαι*, ac *ὑπέρβατα*, de quorum indole Henr. Stephanus (d) et Voſſius (e) conſuli poſſunt,

 notan-

(d) *In Paraſc. ad Thucyd. Schol.*
(e) *In Inſtit. Orat. L. V. C. V.*

notantur. Haec enim omnia, vti ſenſui, ita etiam interpunctioni, multum difficultatis afferunt, quae, Scholiorum ope, feliciter ſaepius diſſipantur, dum ea non ſolum lectorem de iis ſcopulis admonent, ſed etiam, qua ratione ſuperari poſſint, docent. Sic ὑπερβάτῳ, ſeu perturbato vocum ordine, laborant verſus Pindari. (f)

Υἱὲ Ταντάλου, σὲ δ' ἀντί-
α προτέρων φθέγξομαι
- - - - - -
Τότ' Ἀγλαοτρίαιναν - - -
- - - - - -
Ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι
Ἔνθα δευτέρῳ χρόνῳ
Ἦλθε καὶ Γανυμήδης.

Fili Tantali, te vero contra
quam priores dicam
Tunc Tridente inclitum - - -
Ad domum Iouis ſuſtuliſſe
Quo poſteriori tempore
Venit et Ganymedes.

Cauen-

(f) *Od. Ol. I. v. 58. ſeqq.*

Cauendum ergo, ne ſeiungendae voces coniungantur, lectori autem, diſtinctionum ſignis, ſubueniendum erit. Quae, quo collocanda ſint loco, facile ex Scholiaſte, eiusque paraphraſi, diſcimus. Ita autem hic: καθ' ὑπερβατὸν νοείσθω. Γανυμήδης γὰρ πρεσβύτερος Πέλοπος. καὶ ἔστι τὸ ὑπέρβατον οὕτως. Διὸς δῶμα μεταβᾶσαι δευτέρῳ χρόνῳ. ἔνθα ἦν καὶ Γανυμήδης. Et alius quiſpiam Scholiaſta, δευτέρῳ ἀντὶ τοῦ ὑστέρῳ. προτέρῳ δὲ οὐχ ἔχρην εἰπεῖν. πρεσβύτερος γὰρ Γανυμήδης Πέλοπος· ὡς ἔστιν ἐκ τῶν ἐπιγόνων τεκμήρασθαι - - - - καθ' ὑπερβατὸν οὖν αὐτὸ ἀκουστέον, ὅπως ἐπὶ τοῦ Πέλοπος λέγηται οὕτως. ὁπότ' ἐκάλεσε πατὴρ ἐπὶ τὸν εὐνομώτατον ἔρανον, Φίλαν τε Σίπυλον, τότε Ἀγλαοτρίαιναν μεταβᾶσαι δευτέρῳ χρόνῳ, ἔνθα ἦλθε καὶ Γανυμήδης. Erit itaque iuxta Scholiaſtae ſententiam δευτέρῳ χρόνῳ, non ad Ganymedem, ſed ad Pelopem referendum, et hinc, ab adiacentibus vocibus, diſtinguendum. Quamuis vero nulla interpunctione hic opus ſit, ſi τὸ δευτέρῳ, cum Eraſmo Schmidio, quem et Angli, in ſua Pindari editione, (g) ſequuti ſunt, per, *proxime priori* explicare, vel etiam

(g) Oxon. 1697.

Pindarum lapſus, in Chronologia Mythica, accuſare velimus, tamen, cum illud vulgari vocis vſui repugnet, hoc vero a Pindari perſona abeſſe videatur, ac praeterea, nulla vocum ſeries tam perplexa eſſe poſſi, quin in Poemate Dithyrambico, ipſo Schmidio iudice, ſermonem ebriorum referente, (h) locum habeat, Scholiaſtae monitum, non contemnendum erit. Falſum vero eſt, quod, ſub initium Scholii poſtremi, dicitur, προτέρῳ χρόνῳ Pindarum dicere debuiſſe. Si enim, per hyperbaton, voces transpoſitae ſunt, non poteſt, προτέρῳ χρόνῳ, locum habere, niſi in easdem, quas euitare ſtudemus, difficultates nos coniicere velimus. Caeterum Scholia haec, ad eundem locum poſita, eiusdemque fere tenoris, exemplum eſſe poſſunt eorum, quae ſuperius, (i) de earundem rerum repetitione in Scholiis occurrente, diximus.

XV.

Nec minorem huic rei utilitatem pollicentur Scholia, quae has illaſue voces, longius

(h) *In Diſſ. de Dithyrambis.*

(i) §. *III.*

gius a ſe inuicem diſſitas, copulandas eſſe docent. Ad quam rem ſignificandam, vtuntur certis quibusdam phraſibus, quae, niſi vſu diſcantur, moram aliquam legenti facile afferre poſſunt. Iubent enim, mox voces quosdam ὕτω συντάσσειν, mox vnam ad alteram προσλαμβάνειν, item ἐκλαμβάνειν. Quibus verbis indicant, voces, nunc, proxime ſibi adiacentes, diuellendas, nunc longius diſſitas, coniungendas eſſe. Quae admonitiones quantum diſtinctioni adiumenti afferant, nemo non perſpicit. Abundant vero iis Scholiaſtarum libri. Quare vnum exemplum attuliſſe ſufficiet, idque ex Aeſchylo (k)

> Ἀνὴρ δ' ἐπ' αὐτῷ, κ' εἰ ςόμαργος ἐς' ἄγαν,
> Αἴθων τέτακται, λῆμα Πολυφόντυ, βίᾳ,

Ad quos verſus Scholiaſta monet, τῦτο τὸ ἄιθων, οἱ μὲν διὰ τῦ ω μεγάλυ γράφυσι, καὶ συντάσσυσιν ὕτως. ἀνὴρ ἐπ' αὐτῷ ἄιθων (καὶ πρόθυμος) καὶ διάπυρος τέτακται ἐν βίᾳ (ἤτοι ἐν δυνάμει) λῆμα Πολυφόντυ (περιφραςικῶς ὁ Πολυφόντης.) οἱ δὲ διὰ τῦ ο μικρῦ καὶ συντάσσυσιν

(k) ἑπτὰ ἐπὶ Θήβ. p. 92.

σουσιν οὔτως. ἀνὴρ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ τέτακται αἶθον λῆμα (ἤτοι Φρόνημα δραστήριον, καὶ διάπυρον, καὶ τὰ πολεμικὰ ἐμπειρότατον.) Πολυφόντου βία. (ἤτοι περιφραστικῶς ὁ Πολυφόντης ὡς τὸ Ἡρακλείη βίη, Ἡρακλῆς.) Ex quibus Scholiaſtae verbis patet, iuxta priorem, quam adducit, verborum σύνταξιν; eam interpunctionem locum habere debere, quam nos verſibus illis appoſuimus, iuxta poſteriorem vero, talem

Ἀνὴρ δ᾽ ἐπ᾽ αὐτῷ κ᾽ εἰ στέμαργος ἐστ᾽ ἄγαν,
Αἶθον τέτακται λῆμα, Πολυφόντου βία.

XVI.

Quamvis itaque ampliſſimus Scholiorum, hac in re, vſus ſit, non tamen ſatis tutum erit, in omnibus Scholiaſtarum monita ſequi, diſtinguendique rationes, ab illis commendatas, vbiuis reliquis anteferre. Habebant enim recentiores Graeci, quorum magnam eſſe Scholiorum noſtrorum partem iam monuimus, tam in explicatione, quam emendatione, ſuas, quibus delectabantur, ineptias, quae, vti reliquas harum artium partes, ita interpunctionem quoque, affecerunt, et corrupe-

ruperunt. Vſi nempe ſunt τῇ ϛιγμῇ, h. e. interpunctione, ceu θεραπεία, ſeu ad excuſandum liberandumque Poetam a vitio, crimineque, cuius, ob id, quod ſcripſerat, inſimulari poterat. Cum enim illi noui Grammatici Poemata, non ad doctrinam ſolum illarum artium, ad quas res propoſitae ſpectabant, ſed etiam ad Grammatices regulas exigerent, & ab illa, ex humana infirmitate Poetae aberraſſent, has vero, ſcientes volentesque ſaepe violaſſent, ne Poetarum, per tot, commiſſa in praecepta prudentiae atque artis, crimina, labefactaretur autoritas, varias θεραπείας Euſtathio teſte, (l) excogitarunt. In quarum numero, cum etiam ϛιγμὴ eſſet, ad hanc, vbi reliquae applicari non poterant, confugiebant, vocesque, juxta regulas Grammaticas non recte coordinatas, diſtinctionum ſignis, diuellere audebant. Quam vero infeliciter haec medela ceſſerit, vel ex vno exemplo, eoque Homerico, diſcamus. Cecinerat vates (m)

(l) *In Homerum p. 19. Edit. Rom. 1550.*

(m) *Ib.* β.

Φημὶ γὰρ ἒν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα
Ἤματι τῷ, ὅτε νηυσσὶν ἐπ' ὠκυπόροισιν ἔβαινον
Ἀργεῖοι, Τρώεσσι Φόνον καὶ κῆρα Φέροντες
Ἀστράπτων ἐπιδέξι᾽ ἐναίσιμα σήματα Φαίνων.

Dico enim igitur, annuiſſe praepotentem Saturnidem,
Die illo, quando nauibus incitis conſcenderunt.
Argiui Troianis mortem & fatum ferentes
Fulgurans dextera, fauſta ſigna oſtendens.

Ad quae Euſtathius, (n) Σημείωσαι δὲ, ὅτι τὸ ἀστράπτων ἐπιδέξια, σολοικοΦανές ἐςι, καὶ ἀκαταλλήλως ἔχει πρὸς σύνταξιν. τὸ γὰρ ἀκόλουθον οὕτως ἂν εἶχε· Φημὶ κατανεῦσαι τὸν διὰ ἀστράπτοντ' ἐπιδέξια. ὁ δὲ ποιητὴς οὐχ οὕτως ἐποίησεν, ἀλλὰ τέλειαν ςιγμὴν θέμενος, ἐν τῷ τρωέσσι Φόνον καὶ κῆρα Φέροντες. εἶτα ὡς ἀπ' ἄλλης ἀρχῆς ἀσυνδέτως ἀρχόμενος Φησὶν ἀστράπτων ἐπιδέξια - - - - τὸ δὲ ὁμηρικὸν ὡς ἐρρέθη διὰ ςιγμῆς θεραπεύεται. Summa dictorum eo re-

(n) *L. c. p. 236.*

eo redit, ἀςϱάπτων ἐπιδέξια, quod cum praecedenti καταvεῦσαι ὑπεϱμενέα κϱονίωνα, iuxta regulas Grammaticorum, non conueniret, ab antecedentibus diuellendum, et principium nouae, ſed inconcinnae, periodi conſtituendum eſſe. Qua in re, duplici peccauit ratione. Nam et permutationem caſuum, quam Antiptoſin Grammatici vocant, et quam ipſe Euſtathius, figurae Grammaticae nomine, ſatis excuſari, alio loco iudicat, (o) in Poeta reprehendere, (p) intempeſtiuum erat, quippe Poetis, non vna de ratione

C 5

(o) Ἔχει δὲ ἡ καινότης τῆς τοιαύτης συντάξεως θεϱαπείας τϱεῖς. μίαν μεν τὴν ἀντίπτωσιν κ. τ. λ. *l. c. p. 93.*

(p) *Hunc ſui forte iam temporis Scholiaſtarum morem notat Quintilianus L. I. C. XIII. vbi de inſtitutione puerorum ita loquitur. In praelegendo Grammaticus et illa quidem minora praeſtare debebit vt - - - - deprehendant, quae barbara, quae impropria, quae contra legem loquendi ſunt poſita, non vt ex his vtique improbentur Poetae, quibus quia plerumque metro ſeruire coguntur, adeo ignoſcitur, vt vitia ipſa, aliis in carmine adpellationibus nominentur. Metaplaſmos enim, et Schematiſmos, et Schemata, vt dixi, vocamus, et laudem virtutis neceſſitati damus.*

ratione condonandam, et ineptum, ita ſoloeciſmum tollere, vt ſenſui, ordinique verborum, imo autoris etiam intentioni, maxima vis inferatur. Plura eiuſmodi Scholiaſtarum, de interpunctione, praecepta, diligens Scholiorum lector, inueniet: nobis autem ſufficiet, fontem detexiſſe, vnde quam plurima in hanc rem incommoda promanare poſſe videbantur.

XVII.

Magnum equidem Scholiis, in emendatione Poetarum, vſum vindicauimus, ita tamen, vt, quem interpretationi eorundem praeſtant, multo maiorem eſſe contendamus. Nam etſi hae, ſororiae veluti, artes, olim, aequali in Scholia iure, vſae fuiſſe videantur, parique contentione a Scholiaſtis tractatae ſint, hodie tamen tam diuerſa ſorte fruuntur, vt illa, Scholiorum ſubſidiis iuuari, haec vero, perfici atque abſolui, credi poſſit. Nam ea, quae emendationi vſui ſunt, maxima ex parte, non tam a Scholiaſtis huic deſtinata, quam a Criticis ſumenda, atque ſurripienda veluti eſſe, ex ante dictis

patet,

patet, ea vero, quae ad interpretandum faciunt, et maximam Scholiorum partem occupant, ita ſunt adornata, vt non alio, quam interpretandi conſilio, a Scholiaſtis tradita fuiſſe, intelligantur. Non autem ſingulorum Scholiorum, ſed omnium, iunctim ſpectatorum, vſum oſtendere conſtituimus. Quemadmodum enim interpretatio, cui ſubſidia quaerimus, ad omnes Poetas Graecos ſpectat, ſic ea etiam, ex omnibus Scholiis, erunt colligenda. Nec enim, ex ruinis aedificii, vel de priſtina illius forma iudicaturus, vel materiem noui collecturus, vnum ſaltem et item alterum lapidem, ſed omnes, contrectat, tollit, auffert. Ita, ſi ex antiquorum librorum, quibus ars ἐξηγητικὴ continebatur, fragmentis, non ſolum conditionem deperditorum cognoſcere, ſed etiam artem ipſam, cum libris illis, magna ex parte amiſſam, reſtituere cupimus, non vnum tantum et alterum illorum fragmentum, ſed omnia conquirere, conquiſitaque accuratiſſime conſiderare, atque inter ſe conferre, debemus.

XVIII.

XVIII.

Non autem temere artem *ἐξηγητικὴν*, ſeu interpretandi Poetas, cum aedificio collapſo contulimus, ſed quod, non vna ratione, illius imaginem refert. Ac initio quidem, virorum praeſtantiſſimorum, quos Grammaticos vocarunt, indefeſſa opera, poſtquam ex omni artium ac diſciplinarum, ac maxime ipſorum Poetarum, campo, copioſiſſimam interpretationis materiam collegerant, eamque in formam redegerant, vt artis nomen tueri poſſet, iuſtam aedificii formam nacta eſſe iudicari poterat. Procedente autem tempore, cum Grammatici, ad perficiendum hoc aedificium quid conferrent, non inuenientes, diuerſas variorum, de vocibus hiſtoriisque, ſententias, ſubtilesque de iis diſputationes, ornatus forte loco, admiſcerent, ſed eo euentu, vt, quod illis, qui omnia, etiam minima, in re Grammatica exaſciata cupiunt, plerumque accidit, multas ineptias nobiliſſimae arti aſpergerent, multum ſordium eadem contraxit: quemadmodum etiam, cum omnes, in amplifi-

plificando hoc aedificio, laborarent, innumeriſque commentariis, ceu totidem nouis aediculis, iisque non ad vſum, ſed luxuriem, magna ex parte inſtructis, augerent, multum priſtinae ſuae pulchritudinis perdidit. (q) Poſt, cum alii, regulas Grammaticas, iudices Poetici ſenſus, conſtituendo, alii, ſenſum allegoricum nimis extollendo, eoque, ſenſum Poematum vniuscuiusque libidini permittendo, et fundamenta huius artis infirmarent, et fulcimenta ſubruerent, ruinam iam minari coepit. Quae tandem et ipſa, cum Barbarorum vis, Conſtantinopolim, optimam bonarum literarum ſedem, adiacentesque regiones occuparet, ac euerteret, huic arti allata eſt, dum ſcilicet, omnes fere libri, quibus continebatur, flammis, ſqualore, ſordidoque vſu conſumerentur, praeterquam

(q) *Hanc artis Exegeticae ſeu Scholiaſticae faciem tempore Quintiliani iam fuiſſe, ex eius verbis L. I. C. XIII. colligi poteſt. Nam qui omnes, etiam indignas lectione ſchedas excutit, anilibus quoque fabulis accommodare operam poteſt. Atqui pleni ſunt eiusmodi impedimentis Grammaticorum Commentarii, vix ipſis qui compoſuerunt, ſatis noti.*

terquam quod nonnulli, vna cum aliis eruditionis monimentis, ab exulibus Graecis in Italiam delati, eaque ratione conſeruati fuerint, quos poſtea, tum alii multi, tum cum primis Cardinalis Beſſarion, ſummo ſtudio collegit, eosque Reipublicae Venetae donauit. (r)

XIX.

Non multo autem interiecto tempore, cum illi qui, ad reſtaurandas, in Italia, bonas literas animum adiecerant, Poetarum ſcriptis cumprimis opus ſibi fore intelligerent, illis autem intelligendis Scholia, cum ipſis allata, magno vſui eſſe poſſe viderent, neque haec ipſa, vtpote per omnes, quos habebant, Codices diſperſa, niſi colligerentur, ab interitu, quem vix effugerant, ſatis tuta

(r) *Ita enim ad Senatum ſcribit. Caeterum non tam magnum numerum librorum, quam optimos et excellentes, deque ſingulis ſolummodo vnum exemplum ſtudui colligere, vnde euenit, vt fere omnia volumina, quae in ruinis vniuerſae Graeciae remanſerant integra, atque vix alibi reperiuntur, congeſſerim, vid. Phil. Camer. Hor. Subciſ. Cent. III. c. LXXII.*

tuta eſſe iudicarent, ea congerere, atque illis, ad quos pertinebant, Poetis ſubiungere, coeperunt. Neque ſatis erat, ſingulos, inter quos Zacharias Calliergus, et Marcus Maſurus, Cretenſes, eminebant, ea in re elaborare, quin potius, iunctis viribus, inceptum opus vrgebant. Elaborauit enim, etiam in colligendis Scholiis, Graecum quoddam Collegium, in vrbe Roma, ad radices montis Quirinalis, erectum, quod Scholam Graecam nuncupabant, cuiusque aliquando Ioh. Laſcaris, P. Deuario teſte, (s) praeſes fuit. Patet autem hoc ex collectione atque editione Scholiorum in Sophoclem, quam huic Collegio debemus. Eo itaque tempore, pleraque Scholiorum, quae habemus, ſyntagmata conflata ſunt, certiſſimo indicio, ea non niſi fragmenta operum eſſe, quibus ars interpretandi Poetas olim comprehenſa fuit. Imo, illos etiam, qui a recentioribus Graecis conſcripti nobisque integri traditi ſunt, commentarios, antiquiorum

(s) *In Praef. ad auunculi librum de Gr. Linguae Partic.*

rum Scholiorum, fragmenta, ſed paulo curatius coordinata, eſſe, ſupra iam, ex ſententia doctiſſimorum virorum, aſſeruimus.

XX.

Haec eum in finem commemoranda videbantur, vt quantus Scholiorum, in interpretandis Poetis, vſus eſſe poſſit, tum ex origine, tum etiam fatis eorundem intelligeretur. Quo confecto, et illud demonſtrandum erit, haec, quae ſuperſunt, Scholia, ita eſſe comparata, vt ex iis, deperdita pene ars ἐξηγητικὴ reſtitui, ex parte ſaltem, poſſit. Quemadmodum vero, duo explicarunt antiqui Scholiaſtae, verba ſcilicet, atque res, ita vtrumque, ſi cum Scholiis conferatur, multo felicius faciliusque a nobis intelligetur. Et, quod ad voces quidem attinet, qua ratione eas pleraſque, vel paraphraſi illuſtrare, vel aequiualentibus verbis dilucidius exprimere ſoleant, magis ex Scholiorum lectione, quam paucis, quae hoc loco afferri poſſent, exemplis, diſcendum erit. Id tantummodo monemus, in ſignificatu vocis indagando, non

in

in illo, quod ipſi adiectum eſt, Scholio, ſubſiſtendum eſſe, ſed reliqua quoque, in alios Poetas, adiri conſulique debere. Saepiſſime enim, in alterius Poetae Scholiis, potius, quam in illius, qui voce quadam vſus eſt, annotatum reperies, vocem hanc vel illam, eſſe Poeticam, Metaphoricam, ſemel tantum in eo Autore occurrentem, non ſatis Graecam, vel plane peregrinam, ab hoc illoue themate deriuandum, et, ſi quae alia ſunt, quae de vocibus obſeruari merentur. Cuius rei exemplum, vt brevitati ſtudeamus, vnum tantum dabimus. Inueniuntur in Aeſchylo duae voces, vna βάλλην, (t) altera ὀβρίκαλα, (u) quorum illam, per *regem* interpretatur Scholiaſta, alteram inexplicatam dimiſit. Euſtathius vero in ſuis ad Homerum παρεκβολαῖς, (x) non ſolum vtriusque ſignificatum ſuppeditat, illam itidem per *regem*, hanc vero per *leones iuue-*

D *nes*

(t) *In Perſis p. 157.*

(u) *In Agamemn. p. 181.*

(x) *Pag. 381.*

nes explicando, ſed amplius etiam, vtrumque inter τὰ ἅπαξ παρ᾽ Αἰσχύλου referri, imo etiam pro gloſſis, ſeu vocibus peregrinis, haberi debere, monet. Similia interpretationis ſubſidia, loco eo, quo minime quis ea quaeſiuerit, non raro reperiuntur.

XXI.

Rerum autem, in Poetarum ſcriptis occurrentium, quemadmodum eae, ex diuerſiſſimis, imo omnibus diſciplinis, licet tum, cum a Poetis ad vſum conuerterentur, in eam formam nondum redactis, deſumtae ſunt, explanatio, quamuis ex iis, ad quas pertinent, diſciplinis potiſſimum repetenda eſſe videatur, non tamen negligendae ſunt illae particulae, quae, ex antiquis etiam rerum interpretationibus, conſeruatae ſunt. Non enim eſt, quod quis non niſi vulgaria et trita a Scholiaſtis tradi ſuſpicetur, quod forte Grammaticus, de alia re, quam Grammatica, ſermocinans, vti falcem in alienam meſſem immittentibus plerumque contingit,

git, ad interiora rerum penetrare non poſſit. Fuerunt enim Scholiaſtae, non ſolum Philoſophiae, ſed aliarum etiam diſciplinarum, peritiſſimi, vnde bona quandoque, minimeque contemnenda, annotamenta Scholiis adſpergere optime potuerunt. Cuius rei exemplum dabimus Metaphyſicum, qualia, a Grammatico, omnium minime, forte expectabuntur. Diſputat nempe Scholiaſta Sophoclis (y) de diſcrimine naturae et eſſentiae, ſequentem in modum, οὐσία φύσεως διαφέρει, οὐσία μὲν, ἐστὶν ἡ ὕπαρξις, φύσις δὲ, ἡ ἐνοῦσα τινὶ δύναμις. οἷον φύσις ἐστὶ γῇ τὸ ἀναβλαστεῖν βοτάνας, καὶ φύσις τοῦ πυρὸς τὸ θερμαίνειν. Quae, quam Philoſophice dicta ſint, eius rei periti iudicabunt.

XXII.

In his itaque vniuerſis rebus explanandis, etſi Scholiaſtarum admonitiones non contemnendae ſunt, maiorem tamen vſum, in reſtituenda fabularum enarratione, promittunt.

(y) *P. 46. Edit. Steph. 1568.*

tunt. Quae artis Exegeticae pars, ita olim inter caeteras excelluit, vt tota ab ea, ceu nobiliſſima, nomen ἱστορικῆς tulerit. Quemadmodum vero enarratio hiſtoriarum, ad quas etiam fabulas, ſine dubio, retulit Quintilianus, *diligens quidem, non tamen ad ſuperuacuum laborem occupata* eſſe debet, monente eodem Fabio, (z) ita, qui ex Scholiis, vtilem ad interpretationem, fabularum cognitionem petunt, et diligentiae ſpecimina colligere, et ſuperuacui laboris monumenta, reſecare diſcant. Ad illa vero non ſolum refero crebras fabularum, et quidem ex diuerſorum ſententiis, narrationes, (qua tamen in re vnum Scholiorum opus ab altero vincitur, quemadmodum in Scholiis ad Pindarum, Lycophronem, Theocritum, plures fabulae reperiuntur, quam in illis ad Aeſchylum, vel Sophoclem) ſed etiam harum explicationes, rite inſtitutas, (a) nec non Deorum,

(z) *Inſtit. Orat. L. I. c. XII.*

(a) *Sic de poena Tantali diuerſas narrationes vide apud Schol. Vet. Pind. Ol. I. v. 97.*

Digitized by Google

rum, hominum, (b) locorumque, eodem nomine vtentium, rerumque, quibus a ſe inuicem diſtingui poſſunt, recenſiones. Ad ſuperuacuos vero labores, quorum magnam partem ante commemorata Scholiorum fata dudum abſtulerunt, pertinent ſcrupuloſae de Genealogiis confictorum Deorum hominumque diſputationes, factorum, a diuerſis perpetratorum, comparationes, (c) et cumprimis Allegoricae interpretationes, contra Poetae mentem inſtitutae.

XXIII.

In quibus omnibus, cum futuro vſui deſtinanda, ab inutilibus, facili negotio, ſecerni poſſint, ea tamen, quae ad Allegoricas explicationes pertinent, accuratiorem, atque circumſpectiorem lectionem, deſiderant. Allegoricum enim ſenſum fabulis ſubeſſe,

D 3 tamdiu

(b) *Sic de tribus cyclopum generibus diſſerit Schol. Heſ. Theog. p. 147. Edit. Heinſ. 1603.*

(c) *Vti in Schol. Vet. ad Heſ. Theog. ſtupra Herculis et Iouis comparantur p. 235.*

tamdiu creditum eſt, quamdiu ſcripta Poetarum in pretio habita fuere. Et olim, illum eruere, Scholiaſtarum officium reputatum eſt. Hi tamen non admodum diu, in illo, quem Poetae ipſi fabularum tenebris inuoluerunt, eruendo, laborarunt, quin potius, quod factu multo erat facilius, quiduis ad quoduis tranſtulerunt, vniusque fabulae (d) multiplicem ſenſum confinxerunt. Mox etiam, vbi ſemel ſuis magis, quam Poetae ſententiis, delectari inceperant, nihil non Allegorice interpretati ſunt, quam vero infelici ſucceſſu, ex Dan. Heinſio (e) diſcemus, qui de hac re ita loquitur. *Graeci*, inquit, *omnibus ſcriptis vim ſuam eripuerunt, cum nihil Pragmaticum in illis relinquunt, ſed, vento inani Allegoriarum abrepti, omnia pro nutu fingunt.* A duo-

(d) *Sic Euſtathius Iouem, quem In* ἱςορȣ́μενον, μυθευόμενον *et* ἀλληγορȣ́μενον, *p. 127. diſtinguit, dicit* ἀλληγορεῖσθαι εἰς νȣ̃ν, εἴτ' ȣ̃ν ψυχὴν τȣ̃ παντὸς, εἰς ἄερα, εἰς ἄιθερα, εἰς ἥλιον, εἰς ȣ̓ρανὸν. καὶ ȣ̈τω μὲν, καὶ ταῦτα *p. 128.*

(e) *In Introd. ad Heſid.* E. κ. H. *p. 37.*

A duobus igitur potiſſimum Scholiaſtarum vitiis, Poetarum interpretes ſibi caueant. Primo, ne τὰ ὁμολογουμένως ἱστορούμενα, vt Euſtathius appellat, (f) allegorica interpretatione corrumpant. Deinde vero, ne, vbi quaedam Allegorice omnium conſenſu explicanda ſunt, alienam a Poetae mente afferant Allegoriam. In vtroque enim, interpretes Poetarum, ſeu Scholiaſtas, maxime recentiores, ſaepiſſime lapſos fuiſſe, harum rerum ſtudioſis non ignotum eſt.

XXIV.

Quamuis vero, haec Scholiorum vitia detegendo, male vſus Scholiorum, in explicandis fabulis, demonſtratus videri poſſit, non tamen debuerunt ea reticeri. Non enim magnum ex aliquo libro vſum ille capit, qui multa, ſed qui ſolido fundamento ſuperſtructa, inde deſumit, atque in vſus ſuos transfert. Neque, quod multa, inepte de fabulis diſputata, in Scholiis reperiuntur, reliqua omnia reiicienda aut contemnenda ſunt. Non enim

(f) *Pag. 3.*

omnes aeque Scholiaſtae his ineptiis delectati ſunt, id quod exemplo Procli, antiqui Heſiodi interpretis, multa eleganter docteque, ipſo Dan. Heinſio (g) iudice, interpretantis, et Euſtathii, non minus illos, qui omnia allegoricè explicant, quam qui nihil, reprehendentis, (h) probari poteſt. Ne illud dicam, quod, vti in allegorico fabularum ſenſu formando, quandoque luxuriantes, ſic in hiſtorico, ſeu in veris hiſtoriis, fabularum tenebris inuolutis, indagandis, ſolertes fuerint. Sic Scholiaſtes Ariſtophanis (i) fabulam de Lynceo, ea, quae infra terram abſcondita latent, oculorum acie detegente, ita explicat, vt, eum fodinarum metallicarum inuentorem exiſtitiſſe, dicat. Satius itaque videbatur, Scholiorum in explicandis fabulis circumſcriptum, ſed exploratum, vſum oſtendiſſe, quam largum, ſed eum, qui, quo amplior eſſet, eo magis veram interpretationem corrumpere potuiſſet.

XXV.

(g) *Introd. ad* E. x. H. *paſſim.*
(h) *Pag.* 3.
(i) *Pag.* 23.

XXV.

Haec vero, quae in Scholiis reperiri, diximus, bonae interpretationis ſubſidia, eo ampliorem vſum habent, quo maior Poetarum, in phraſibus, ſententiis, fabulisque, conſenſus datur. Cum enim vnus alterum, omnes autem Homerum, imitarentur, cum etiam, quam vnus fecerat fabulam, alii amplificarent, cum denique, vti in Comicis atque Tragicis videre licet, vnus alterum, illius ipſius verbis ſuggillaret, populoque deridendum proponeret, fieri non potuit, quin verba, phraſes, ſententiae atque fabulae, ex vnius Poemate, in alterius, commigrarent. Vnde ſequitur, vt vnum idemque Scholion plurimis locis, prout ad illum, cui adiectum eſt, alii ſaepius reſpexerunt, lucem affundere, moxque voci, mox fabulae, mox ſententiae, alibi occurrenti, illuſtrandae, inſervire poſſit. Conſenſus autem, quem in Poematibus Graecis dari diximus, eiusque, ſi perſpectus fuerit, vſus, teſtem excitabo Henr. Stepha-

num, qui de Codice quodam Aeſchylaeo, in quo conſenſus verborum cum Homericis notatus erat, ita loquitur. (k) *Iuuit autem me praecipue, quum breui in margine noſtri illius libri ſignificatum inueni, hoc aut illud ad imitationem Homeri prolatum fuiſſe, omnesque illas animaduerſiones diligenter collegi: ſiue illae eodem pacto vſurpatum verbum aliquod fuiſſe ab Aeſchylo, quo a principe Poetarum, oſtenderent: ſiue ſententiam quampiam hauſtam eſſe a fonte eodem pulcherrimarum, grauiſſimarumque ſententiarum, demonſtrarent. Nam omnibus in rebus Aeſchylum ſummum Homeri imitatorem extitiſſe, admiratumque ſemper eſſe ingenium ac eruditionem ipſius, ab optimis autoribus proditum eſt.* Idem de reliquis Poetis, Sophocle, Euripide, aliis poterat oſtendi, niſi breuitati ſtudendum eſſet. Caeterum Scholiaſtae, dum hunc ipſum Poetarum, dictis in rebus, conſenſum, multis exemplis, (quae adducere ſuperfluum foret,) demonſtratum dederunt, non

(k) *In Praef. ad Aeſchylum.*

non de Scholiis tantummodo ſuis, quorum vſum ampliſſimum in interpretandi arte eſſe, exinde clariſſime apparet, ſed etiam de interpretandi arte, quam hac ratione admodum iuuere, his quoque laboribus, bene meruerunt.

XXVI.

Nec hic praetereunda videntur non inutilia illa Scholiorum ornamenta, quae in nonnullis Codicibus reperiuntur, nempe rerum, in Poetis commemoratarum, et in Scholiis explicatarum, imagines. Sunt enim quaedam res, partim a natura productae, vt plantae, vt arbores, partim artificum manibus elaboratae, quarum, ſi vel maxime deſcriptionem legas, imaginem tamen, vix ac ne vix quidem in animo excitare valeas, cum contra, ſi pictura acceſſerit, non minus eas habeas perſpectas, quam ſi oculis res ipſas vſurpare, aut manibus contrectare, licuiſſet. Hac itaque ratione, absque dubio, permoti Scholiaſtae, (ſi modo Scholiaſtae fuere, qui, vt Montfalconius de exemplo mox afferendo iudicat, picturas ipſas

ipſas confecerunt, aut minimum confici curarunt,) Poetas hinc inde, non verbis ſolum, ſed pictura illuſtrare voluerunt, vt ſi quid forte pennae, non omnia accuratisſime perſequentis, aciem effugiſſet, penniculo tamen exprimeretur. Adducit eius rei exemplum Montfalconius, (l) ex Codice quodam Florentino Monaſterii B. Mariae Benedictinorum deſumtum, in quo exhibentur formae inſtrumentorum, quibus olim in re domeſtica vſi ſunt. Quamvis vero certum ſit, res, eiusmodi picturis optime explanari, imo nunquam recte ſine tali ſchematum adminiculo intelligi, tamen, cum et pauci ad nos peruenerint Codices, eiusmodi picturis ornati, et hae ipſae, multis ſeculis poſt, quam tales res in vſu fuerunt, confectae ſint, ac praeterea, an omnes picturae, a viro ſatis docto, adornatae fuerint, ſatis exploratum non ſit, neque ſaepius, neque ſatis tuto, vocabulorum interpretationes, ex his imaginibus, petere, licebit.

DE

(l) *In Palaeogr. Gr. L. I. C. I. p. 10.*

DE PRAESTANTIA ET VSV SCHOLIORVM GRAECORVM QVAE EXSTANT IN POETAS SIGILLATIM IN HISTORIA ET RE NVMISMATICA.

I.

De vſu Scholiorum Graecorum in Historia, antequam exponamus, hanc, quod latiſſime patet, in certas partes diſpeſcendo, noſtro inſtituto accommodabimus. Eſt autem Hiſtoria omnis diuiſa in partes tres, quarum vna Ciuilem, altera Literatam, vltima Eccleſiaſticam, complectitur. Harum vnaquaeque ex Scholiis illuſtrari, aliqua ratione poteſt. Hinc de ciuili ſtatim, de Literata paulo poſt, de Eccleſiaſtica vero, eo, quo, de vſu Scholiorum in re ſacra, agetur, loco

loco dicemus. Non autem omnes narrationes, Hiſtoriae, de qua diximus, inſeruiunt, quin potius, omnes illae reiciiendae ſunt, quae vel fabulas pro hiſtoria docent, vel hiſtoriam quidem, ſed nullo teſtimonio, nulloque veritatis indicio, confirmatam, vti etiam, mendacii ſuſpicione non vacant, ſi vna et item altera ex parte, eiusmodi ſordibus inquinata eſſe, deprehendantur. Quae ſi cum Scholiis conferantur, horumque conditio accuratius perluſtretur, non vnum argumentum occurret, quod fidem eorum in Hiſtoria, vel penitus tollere, vel ſuſpectam minimum reddere, videri poterat. Hinc enim autorum ignoratio, hinc rerum, non ſatis ſemper conſentientes, narrationes, hinc fabulae, veris hiſtoriis permixtae, lectores Scholiorum monere videntur, ne temere iis fidem habeant, incertique autoris incertum ductum incauti ſequantur. Quibus rebus, ſi ad detrahendam Scholiaſtis omnem fidem, et hinc dependentem vſum in hiſtoria, nos permoueri patiamur, peſſime Hiſtoriae, eiusque cultoribus, conſuletur, ſin vero, ad arcen-

arcendum, a praecipiti aſſenſu, animum, cautionibusque praemuniendum, vtamur, et Scholiorum dignitati proſpicietur, et Hiſtoria additamentis, non contemnendis, locupletabitur. Oſtendemus hanc ob cauſſam, quae Scholiaſtarum hiſtoriae, quibusque de cauſſis, pro veris ſint habendae, quibusque armis earum veritas infringi poſſe videatur. Qui labor ſi inutilis nonnullis videbitur, qui quoduis a quouis dictum, pro certo habere, in animum induxerunt, illis tamen forte non ingratus erit, qui non, niſi rebus circumſtantiisque probe perſpectis, fideque dicentis explorata, aſſenſum narrationibus praebere, conſueuerunt.

II.

Sed ante infringenda eſt eorum vis, quae Scholiorum fidei obiici poſſe, iam ipſi monuimus. Nunquam enim eorum effatis tuto credemus, ſi veritatis indiciis ſupparia falſitatis argumenta opponi poſſint. Ac, vt de autoribus eorum, quos, magna ex

parte,

parte, ignorari largimur, primo agamus loco, non quidem diffitebimur, non parum hoc alioquin derogare librorum fidei, ſi autores ignorentur, cum contra illis multum autoritatis, integritate, diligentia, aetate ſcriptoris, concilietur, ac non magis quid, quam a quo dicatur, in Hiſtoria attendi ſoleat, id tamen Scholiorum fidei quicquam detrahere, minime exiſtimamus. Quamuis enim, a quibusnam ſingula compoſita ſint, magna ex parte neſciamus, non tamen, quibus, quantisque viris, ea in vniuerſum debeantur, ignoramus. Quam enim Scholiaſtae bonarum literarum ſtudioſi, callentesque, fuerint, priori diſſertatione commemorauimus, rebus autem Hiſtoricis, ſpeciatim, operam eos dediſſe, ex eo ſatis liquet, quod nec potuere, nec voluere, earum rudes eſſe. Qui enim potuiſſent, Interpretes Poetarum, Hiſtoriae ſcientia carere, cum Poemata, vel ob ipſas Hiſtoriae particulas, obſcurius iis intertextas, interpretatione indigeant. Quod quidam ex Scholiaſtis ipſe pro-

profitetur. Cum enim Pindarus Odas ſuas interpretatione egere dixiſſet: (a)

- - - Πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶ-
νος ὠκέα βέλη
Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας
Φωνᾶντα συνετοῖσιν. ἐς
Δὲ τὸ πᾶν, ἑρμηνέων
Χατίζει

- - - Multae mihi ſub cubito
Celeres ſagittae
Intra ſunt pharetram
Sonantes intelligentibus, ad
Vulgus autem, interpretibus
Indigent

Scholiaſta, rationem huius effati redditurus, (b) dicit, οἶδε γὰρ, ὅτι πολλῇ ἱστορίᾳ κέχρηται κ. τ. λ. Et, ſi vel maxime, parum aut nihil hiſtoriarum, Poematibus admixtum fuiſſet, multas tamen, neque voces, neque orationes, in iis obuias, absque Hiſto-

E riae

(a) *Ol. II. n. 149. ſeqq.*
(b) *Ad l. c.*

riae luce, lectores intelligere potuiſſent. Qua ipſa de cauſſa, cum olim inter officia Grammatici reputaretur hiſtoriarum enarratio, (c) quomodo nomen ſuum tueri potuiſſent, ſi hiſtoriam a limine ſaltem ſalutaſſent. Noluiſſe autem Scholiaſtas ejus artis ignaros eſſe, partim ex multitudine librorum Hiſtoricorum, quorum autores extiterunt, (d) partim ex Commentariis, quibus Hiſtoricos, e. c. Thucydidem, illuſtrarunt, (e) partim denique ex locis, quae ex antiquis Hiſtoricis copioſe protulerunt, ſatis elucet. (f)

III. Quo

(c) *Conf. Wowerius Polym. C. XII.*

(d) *Conf. Voſſius de Hiſtoricis Graecis, vbi quam plurimi celeberrimi Scholiaſtae in Hiſtoricorum Catalogo recenſentur.*

(e) *Quod Didymum, Antyllum Aſclepium, Euagoram, alios feciſſe, relatum legimus.*

(f) *Antiquiſſimum hunc morem Scholiaſtarum eſſe, colligo ex Scholiis ad Pind. Od. II. Olymp. v. 29. vbi de Didymo tale quid commemoratur.* ὁ δὲ Δίδυμος, τὸ ἀκριβέστερον τῆς ἱστορίας ἐκτίθεται, μάρτυρα Τίμαιον τὸν συντάξαντα τὰ περὶ τῆς Σικελίας προφερόμενος.

III.

Quo facilius autem ignorantiae in rebus Hiſtoricis ſuſpicio a Scholiaſtis depellitur, eo plus metuendum videtur, ne fingendi libidine, cuius facilius forte aliquis eos inſimularet, fidem ſuam perdant. Enim vero, qui Scholia Graeca compoſuerunt, Graeci homines fuere, quos veritatis admodum ſtudioſos fuiſſe, vix ſibi perſuadebit, qui nonnullorum de iis iudicia legit. Ex quibus duo, quae inſtar omnium eſſe poſſunt, adducemus. Vnum Ciceronis eſt, qui ita loquitur. (g) *Verbi enim controuerſia iam diu torquet Graeculos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis.* Alterum eſt Dan. Heinſii. (h) *Graecis enim,* inquit, *ac Grammaticis praeſertim, quatenus fides habenda ſit, iam olim didicimus, qui modo ſpecioſum aliquid et inauditum offerre poſſint, de vero nihil laborant. Qui ſaepe ex nutu aliquo Homerico ritum fingunt etc.* Haec etſi teſtimonia

 omnem

(g) *De Orat. L. I. fol. 139. b. Edit. Sturm.*

(h) *In Praefat. ad Heſiod.*

omnem Scholiorum ſidem euertere videri poterant, rebus tamen accuratius conſideratis, prius quidem nihil omnino valere, hoc vero, non omnibus Scholiaſtis, ſed quibusdam, nec in omnibus, ſed in nonnullis ſaltem hiſtoriis, ſidem detrahere, apparebit. Ciceronis enim dictum quod attinet, non tam veritatis Hiſtoricae, quam Philoſophicae, ſtudioſos fuiſſe Graecos, negat. Quod partim ex occaſione, qua illud prolatum eſt, patet, quid enim ſit orator, eo loco diſputat, partim ex altero, huicque affini, cuius eos accuſat, vitio, verborum nempe controuerſias eos ſectatos fuiſſe, id quod male, ſtudio ueritatis in Hiſtoria, fuiſſet oppoſitum. Nec ex eo, quod in Philoſophiae ſtudio veritatem inſuper habuerint, colligi poteſt, eosdem in Hiſtoriarum tractatione pariter fictionibus operam dediſſe. Multa enim erant, quae ad fingendas inauditas ſententias, ſed Philoſophicas, opinionumque monſtra gignenda, Graecos permouere potuerunt, vt rerum nouiter inuentarum gloria, ingenii oſtentatio, aduerſarios quam pluri-

mos

mos habendi cupido, et alia multa, quae faſtuoſis hominibus in pretio eſſe ſolent. At quid eosdem ad mendacia in Hiſtoria proferenda, poterat commouere. An forte glorioſum fuiſſet, inauditam aliquam vel rempublicam, vel vrbem, vel prouinciam confinxiſſe, aut iucundum, foetum aliquem Hiſtoricum, eumque ſatis monſtroſum, protuliſſe, qui multis irriſioni, nemini admirationi, genitori vero dedecori fuiſſet.

IV.

Sed, plus periculi fidei Scholiaſtarum imminere videtur, ex Heinſii teſtimonio, quod et de Scholiaſtis ſpeciatim agit, et de ſtudio Hiſtoriae, quorum neutrum in illo Ciceronis occurrebat. Verum ſalua res eſt. Non enim, doctiſſimo huic viro, animus fuit, omnem eorum fidem euertere, ſed limitibus ſaltem circumſcribere. Neque Scholiaſtas vbiuis ſuſpectos, ſed lectores, vbiuis cautos reddere, voluit. Magis enim de hiſtoriis leuioris momenti, aut iis, in quibus confingendis ingenii vis oſtendi poteſt, quam mo-

mentoſis, cuius generis, vrbium, regionum, aut illuſtrium perſonarum fata ſunt, loqui videtur. In his autem, Scholiaſtas tam ſaepe, tamque multa finxiſſe, vt fidem decoxerint, vereor, vt demonſtrari poſſit. Non enim tantam ſcriptorum, mores ac conſuetudines priſcorum deſcribentium, copiam habemus, vt quae, in quauis gente, ſingulis aetatibus, geſta ſint, accurate ſciamus, praeſertim, cum in enarrandis hominum moribus, ac conſuetudinibus, plerumque tam parua temporis ratio habeatur, vt, quaſi haec omni tempore eadem eſſent, absque vlla temporis ſignificatione narrentur. Quare, ſi vel maxime Scholiaſtae ſcriptor aliquis contradicat, niſi, non de eadem ſolum re, ſed etiam de eiusdem temporis et loci rebus vtrumque loqui, euincatur, nihil vtriusque fidei disſenſus nocet.* Quam vero id, quod deſideramus, demonſtratu difficile ſit, nemo non videt. Sic enim e. c. cum Grammatici, quod Heinſio diſplicet, aſſeruerint, ſolius Homeri verſus, olim ad lauri ramum recitatos, Aeſchyli autem ad myrti virgam cantatos

tatos fuiſſe, potuit id vtique certa quadam in gente, certoque tempore obtinuiſſe, ſecus vero alibi, aut alio tempore. Vnde omnino ſequitur, vt Graecos, vti hoc loco, ſic aliis in rebus, mentitos fuiſſe, non facile poſſit demonſtrari. Sed eſto etiam, eos eiusmodi in rebus, ingenio ſuo aliquid dediſſe, quis quaeſo veritatis tam tenax Hiſtoricus eſt, qui non aliquando circumſtantiam aliquam fingat, non, vt lectoribus imponat, ſed vt rem, prouti geſtam eſſe credit, accuratisſime deſcribat. Quae licentia, ſi in vllo, certe in iis ferenda eſt, qui hiſtoriam ad interpretationis vſum, tradunt. Hi enim, quod hiſtoria, accurata omnium circumſtantiarum enarratione vacans, paruo vſui eſſet, eas, ſi memoriae proditae non ſunt, fingunt, non quidem omnino pro arbitrio, ſed prouti ad eam, quam quaerunt explicationem, apta eſſe videtur. Incidunt enim eius generis homines non raro in loca antiquorum, quos interpretandos ſuſcipiunt, ſcriptorum, quorum Emphaſin ſeu ſingularem vim, vel ex circumſtantia aliqua rei geſtae,

aut ritu aliquo, demum recte explicari poſſe, vel haec ipſa tam manifeſto inſinuare credunt, vt hic non minus bene talia demonſtrari, quam ibi tuto, quod neceſſitas ita poſtulet, fingi poſſe, ſibi perſuadeant. Vnde apparet, eiusmodi figmenta, non tam noui quid proferendi, quam antiquam hiſtoriam eruendi ſtudio, ſed malis regulis inſtructo, enaſci. Dabimus itaque et hoc, Scholiaſtas, quod ad interpretationis adiumentum hiſtorias, nullo antiqui ſcriptoris teſtimonio nixas, quandoque protulerint, reprehendendos eſſe, dummodo non id, quod Scholiaſtae data opera lectores decipere voluerint, ex Heinſii dicto elici poſſe credatur. Id quod caeteroquin et eam ob cauſſam minus, quam primo adſpectu videri poterat, Scholiaſtarum fidem deſtruit, quod non de omnibus, ſed de recentioribus potiſſimum Scholiaſtis in quos, vti ex aliis eius dictis patet, implacabiles, ſed iuſtas inimicitias ſuſceperat, loquitur, quos vti ſolidae doctrinae in vniuerſum, ſic hiſtoricae veritatis ſigillatim, non pro officii ratione operam dediſſe, largior.

Quodſi

Quodſi vero quis ex eo, quod vetera recentiorum Scholiis permixta ſint, omnia ob horum leuitatem, nonnullam in mendacii ſuſpicionem incurrere colligat, hanc quidem aliqualem concedemus, ſed nec maiorem, quam in eos, qui non mala mente aliquid fingunt, cadit, et tamdiu ſaltem, quamdiu regulae, quarum beneficio recentiora a veteribus Scholia diſtingui poſſint, ignorantur.

V.

Taceo alia, quae in Scholiaſtis non laudanda quidem, aeque tamen, eos fingendi ſtudio, nulla etiam vrgente neceſſitate, deditos fuiſſe, minus demonſtrant. Quibus reuellendis ſi operam accommodare velim, quod partim leuia ſunt, partim illis, cum reliqua hiſtoricorum caterua, communia, hinc ſuperuacaneo, hinc alieno a noſtro inſtituto, labore defungerer. Adducam tamen ex quam plurimis, quae huc pertinent, vnum ſaltem. Non ſemel ſcilicet, vbi rationes, ob quas vrbs aut prouincia hoc vel illud nomen tulerit, proferendae ſunt, Etymologiam vo-

cis ſcrutantur, et ſi quicquam, vel in vocis primitiuae, vel agnatae notionibus reperiant, quod aliquo modo in illam regionem aut vrbem conuenire videatur, rationem inditi nominis ſe indagaſſe credunt. (i) Quae rationes etiamſi, quando cum veteribus monimentis, antiquorumque teſtimoniis conſpirant, negligendae non ſint, tamen, ſi absque illorum fide adducantur, non magis bene, quam ipſae fabulae ad Hiſtoriam referuntur. Quod cum nihilo ſecius, a Scholiaſtis ſaepius factum ſit, vel eo nomine reprehendendi eſſent, niſi hic mos omnium fere hiſtoricorum, eorumque ſaepe, non ex ea tantum, ad quam nomen pertinet, lingua, ſed Graeca etiam, ac Latina et Ebraica, in ſubſidium adſcitis, diſputantium, exemplis confirmatus, ingeniique propemodum laudem iam conſequutus eſſet, ita, vt cum in aliis

(i) *Exemplum eſt, in Schol. Pind. Od. Ol. VII. 24. vbi de inſula Rhodo, ex aliorum tamen Grammaticorum ſententia, dicitur,* τινὲς δὲ Φασὶ κληθῆναι οὕτω, διὰ τὸ σπουδαῖα ἔχειν ῥόδα. οἱ δὲ διὰ τὸ ῥοώδη εἶναι τὰ περὶ αὐτήν.

aliis ſcriptoribus toleretur, his iniquiſſime exprobraretur.

VI.

Multo autem minus diſſentientes, de eadem re, narrationes, quae in aliis ſcriptoribus merito reprehenduntur, Scholiis iure exprobrari poſſunt. Id quod, non de iis narrationibus intellectum volo, quae in diuerſis Scholiorum collectionibus reperiuntur, quibus, quod a diuerſis autoribus profecta ſunt, diſſenſus facile condonatur, ſed de iis potiſſimum, quae in vno eodemque Scholiorum Syntagmate occurrunt. Quicquid enim illis diſſenſus veniam conciliat, id, his quoque vt veniam demus, ſuadere videtur. Quidni enim, ſi in libris, a diuerſis autoribus conſcriptis, pugnam ſententiarum toleramus, eam non itidem in vno libro, ex diuerſorum libris collecto, (k) quales plerasque

(k) *Imo hoc ipſum, nempe Scholia, quae vnius eſſe creduntur, ex variorum Commentariis collecta eſſe, ex pugna ſententiarum, ſummi viri collegerunt. Sic Grotius ad Aratum p. 24. ſciendum, inquit, eſt,*

raſque Scholiorum collectiones eſſe nemo diffitebitur, aequo animo feremus, niſi forte, autores, quorum diuerſae ſententiae in vnum librum congeruntur, collectoris culpam praeſtare debere velimus. Id quod, ſi non ſatis aequum videtur, quid tandem ſupereſt, quod ex pugna ſententiarum aduerſus Scholiaſtarum fidem elici poſſit.

VII.

Sicuti porro maximam laudem meretur Hiſtoricus, fabulas, vulgo afferri ſolitas, a vera hiſtoria ſollicite ſecernens, ſic contra omnem fidem perdit, qui eas hiſtoriae ſuae intertexit, eamque hac ratione adulterat. Secus vero ſe res habet cum Scholiaſtis, qui, quod fabulas cum vera hiſtoria coniunxerint, non modo excuſationem, ſed etiam laudem,

eſt, Scholia Aratea non eſſe vnius Theonis, ſed et aliorum, nam et ſaepe idem iteratur, quod Scholiaſtae facere non ſolent, et contrariae ſententiae inferuntur. Mericus Caſaubonus in diatribe de nupera Homeri editione p. 45. de Scholiis minoribus in Homerum dicit, eiusdem auctoris tam ſibi repugnantia eſſe, non ego praeſtem.

laudem, promeruiſſe videntur: illam quidem, quod res hiſtoricas, pro inſtitui ſui ratione, interpretationisque ordine, non continua quadam ſerie tradere potuerunt, ſed diuerſiſſimis rebus, et in his fabulis immiſcere, neceſſum habuerunt: hanc vero, quod Hiſtoriae deliciis non ita ſe capi, paſſi ſunt, vt fabularum, ad interpretandos Poetas aeque neceſſarium, ſtudium negligerent, vt potius, quod prudentes viros decebat, vtrumque coniunxerint. Non itaque, ex fabularum crebra, hiſtoriisque permixta narratione, illud incommodi oritur, vt Scholiaſtis fidem habere non debeamus, ſed vt laborandum ſit, ne, quod ipſe Scholiaſta forte, fabulae loco narrauit, pro vera hiſtoria ampleɛtamur. Quem tamen laborem nemo aegre feret, qui quanto labore in hiſtoria antiqua, vndecunque diſcatur, quantaque difficultate, verum a confiɛto ſecernatur, ipſo vſu didicit.

VIII.

His de Scholiorum ad teſtimonium in argumento Hiſtorico ferendum, opportuni-

tate, praeſtructis cognitisque, eo minus aliquis hiſtoriam a Scholiaſta allatam pro vera habere dubitabit, ſi autoritate antiqui alicuius hiſtorici a Scholiaſta munita ſit. Solere enim hos frequenter ad antiquos hiſtoricos prouocare, tum ipſi iam indicauimus, tum ex Indicibus Autorum, in Scholiis allegatorum, a Celeb. Fabricio editis (1) intelligi poteſt. Quemadmodum vero illi, ſi ſupereſſent libri magno, absque dubio, alius tamen maiori, quam alter, in pretio eſſent, ita poſtquam calamitatibus temporum interierunt, tanta illorum fragmentis autoritas tribuenda videtur, quanta illis, ſi extarent, daretur. Nec aliter ſtatuiſſe, credibile eſt eruditos viros, qui certatim haec in Scholiis obuia fragmenta ex illis deſumſerunt, ac ſuis hiſtoriis admiſcuerunt. Probe enim intellexerunt, horum fide labefactata, nullius ex antiquis ſcriptoribus fidem ſatis tutam fore.

IX.

Sed nec illae hiſtoriae temere in dubium vocandae ſunt, quae absque autoritate eius-modi

(1) *In Biblioth. Graeca.*

modi hiſtorici a Scholiaſtis afferuntur. Quemadmodum enim, hiſtorias quandoque enarrant, nulla autorum ex quibus eas deſumſerant, commemoratione facta, (vti hiſtoria de Dario, per hinnitum equi ad regiam dignitatem euecto Herodoto, cui certe debetur, non nominato, in Scholiis ad Aeſchylum (m) narratur, et in Scholiis ad Ariſtophanis Veſpas (n) Polemarchi officium deſcribitur, verbis ex Polybii Hiſtoria (o) deſumtis, non allato autoris nomine, vt Meurſius (p) obſeruat,) ita illos in hiſtoriis, quarum autor, nec ab illis indicatus, nec aliunde nobis notus eſt, aliquem probatae fidei ſcriptorem ſequutos fuiſſe, non immerito coniicimus. Neque eſt, quod hac ratione probabilitatem, non certitudinem, euinci quis obiiciat, cum, quam ſaepe in Hiſtoria probabile pro certo nobis eſſe debeat, ſatis notum ſit.

X. Ex

(m) *Ad Perſas p. 162.*
(n) *Pag. 505.*
(o) *L. IV.*
(p) *Lect. Attic. L. II. c. XIV.*

X.

Ex his pateſcit, hiſtoriae, quae in Scholiis narratur, negandae non ſufficere, teſtimonium alterius ſcriptoris, cum Scholiaſta non conſentientis. Quin potius, aut in dubio relinquenda vtriusque narrationis veritas, aut alterutrius argumentis aliunde petitis confirmanda erit. Si enim Scholiaſtae pari, cum caeteris ſcriptoribus, autoritate pollent, nemo niſi iniquus rerum iudex, his potius, quam illis fidem habebit. Neque aegre ferent ad certitudinem in re Hiſtorica adſpirantes, quod non minorem Scholiaſtis fidem, quam aliis ſcriptoribus tribuendo, ſi inter eos diſſenſus reperiatur, animum ſuſpenſum tenere, neceſſe habeant. Quis enim ignorat, ſaepiſſime contingere, vt quo ſtudioſius in veritatem narrationis alicuius inquirimus, eo minus, an vera ſit, certi fiamus. Et ſi Scholiaſtae, id quod ante oſtendimus, parem cum reliquis ſcriptoribus, in excutiendis veterum monumentis, diligentiam adhibuerunt, aequum omnino videtur, vt non

niſi

niſi pari cum illis mendacii ſuſpicione laborare, iudicentur.

XI.

Maxime tamen fides habenda videtur Scholiaſtis, vbi temporum ſuorum res commemorant. Si enim hiſtoriae ex ſcriptoribus coaeuis optime tutiſſimeque petuntur, neque ſcriptorum poſterioris aeui, diſſenſu, niſi forte in ſe, quod fidem excedat, habeant, refelli poſſint, nulla idonea reddi poterit ratio, ob quam Scholiaſtis, talia commemorantibus, minus ac aliis, credi debeat. Quin potius, ſi vel maxime in antiquis rebus geſtis enarrandis ſaepiſſime lapſi eſſent, non tamen melius exinde argumentum, pro infringenda eorum, in enarratione rerum ſui temporis, fide, petitur, quam ſi teſti oculato credere nolles, quod rem geſtam, vel ab alio ſibi falſo narratam, vel non recte a ſe perſpectam, non ea, qua geſta eſt ratione, aliquando tibi retulit. Hinc nemo dubitabit, Euſtathium e. e. (q) quamuis in antiqua Hiſto-

(q) *l. c. p. 635.*

Hiſtoria enarranda non ſemel lapſum, vere narrare, (r) finitimum Lydiae, locumque eum munitiſſimum, ſuo tempore tenuiſſe barbaram aliquam gentem, quae Selimorum nomine compellata fuit.

XII.

His itaque argumentis cum Scholiaſtarum fides nitatur, nunquam, niſi contraria ſententia maxime perſpicuis argumentis euinci poſſit, in dubium vocanda videntur, quae in Scholiis, ex omni Hiſtoriae, Ciuilis etiam, campo proferuntur. Quae ſcilicet de hominum nominibus, Genealogiis, matrimoniiis, factis, ac fatis, quae de vrbium conditoribus, legibus, magiſtratibus, aedificiis, euerſionibusque, quae de regionum incolis, occupationibus, vaſtationibusque, quae denique de rerum inuentoribus, vſuque, traduntur. Cuius generis tam multa, tamque

(r) *Sic e. c. ſub initio ſtatim ſui in Homerum Commentarii falſiſſime refert, Ariſtarchum iuſſu Piſiſtrati diſperſum Homeri Poema collegiſſe, atque in ordinem redegiſſe. Piſiſtrato enim multis ſeculis Ariſtarchus fuit iunior.*

tamque copioſe diſputata, reperiuntur, vt parum ſolers Hiſtoriae inueſtigator cenſendus ſit, qui haec Hiſtoriae ſupplementa contemnat, nec digna iudicet diligenti inueſtigatione.

XIII.

Quemadmodum vero omnis Hiſtoria, quae non ad oſtentationem, ſed ad vitae vſum diſcitur, ſic literata cumprimis, non qualicunque rerum geſtarum enarratione abſoluitur, ſed accuratam ſingularum rerum cognitionem, ac cauſarum, vnde ratio earum reddi poſſit, inueſtigationem deſiderat. Hinc quamuis et haec ſcitu ſint neceſſaria, minime ſufficit, artis huius illiuſue ſcriptores, libros, horumque titulos, noſſe, ſed occaſiones quoque inuentarum, ſubſidia atque incrementa vlterius excultarum, rationes denique corruptarum, aut plane deperditarum, artium, detegendae ſunt, niſi commodis, quae Hiſtoriae ſtudium pollicetur, imitandi nempe eorum virtutes, vitiaque vitandi, prudentia, ipſimet nos, culpa noſtra, priuare velimus. Nec, ſi ad illam compa-

randam, Hiſtoriae operam dare velimus, earum ſolum diſciplinarum fata indaganda erunt, quae diuerſiſſimarum ſententiarum, aut magna animorum contentione agitatarum, controuerſiarum, multitudine conſpicuae ſunt, ſed illarum quoque, quae non quidem minoris pretii, minoribus tamen animorum concitationibus tractatae ſunt. Scholiorum itaque hac in Hiſtoriae parte vſum demonſtraturi, non minores illa ſolum Hiſtoriae partes tradere, ſed etiam ad interiores eius receſſus penetrare, nec mediocrium ſaltem artium, ſed maximarum etiam, Hiſtoriam illuſtrare, oſtendemus.

XIV.

Primo enim, non contemnenda veterum autorum librorumque notitia ex Scholiis Graecis comparari poteſt. Nam vti, quod iam monuimus, veteres hiſtorici non raro a Scholiaſtis excitantur, ſic non minus ſaepe Grammaticos, Philoſophos, Geographos, Poetas, alios, eorumque ſcripta commemorata inuenies. Vnde, non ſolum Catalogos

gos librorum, a veteribus eruditis compoſitorum, perficiendi, ſed autorum quoque memoriam ab interitu vindicandi, copia nobis enaſcitur. Et multum omnino intereſt, vt librorum antiquorum, etiam deperditorum, ſcriptorumque, nullis licet ingenii monimentis, quae ſuperſint, celebrium, notitiam habeamus. Non enim tantum in rationibus temporum ſubducendis, aetateque ſua vnicuique aſſignanda, ſed etiam in dignoſcendis a ſe inuicem viris, qui eodem nomine vſi ſunt, hoc nos ſtudium adiuuat. Raro enim ſcriptores antiqui, aetatem doctorum virorum ita notant, vt ad aeram aliquam eos referant, ſed vel praeceptores nominant, vel libros, vel diſcipulos. Ex quorum collatione, ſerieque concatenata, ſi vnius ſaltem alteriusque tempus cognitum ſit, reliquorum aetas facile inueſtigatur. Licet itaque, vnum et item alterum horum noſſe, non magni momenti videri poterat, omnia tamen, et quandoque etiam ſingula, tantam hiſtoriae literatae lucem affundunt, vt Scholiaſtis magnae habendae ſint gratiae, quod his de rebus nos edocere voluerint.

XV.

Magnam deinde Hiſtoriae partem ſibi vindicat ſententiarum Philoſophicarum, ab hoc illoue vel propugnatarum, vel in dubium vocatarum, enarratio. Sed et haec, ſi tanta, quanta ex antiquis libris comparari poteſt, eſſe debeat, absque Scholiorum doctrina admodum imperfecta erit. Multa enim ex antiqua Philoſophia, nec eius ſolum, quae integrarum ſectarum, ſed et, quae ſingulorum erat, in iis commemorantur. Cumprimis vero ex Scholiaſta diſcere iuuabit, hoc illudue dogma, ex hoc vel illo, Homeri, Heſiodi, aut alterius cuiusdam Poetae loco, deſumtum eſſe. Dubium enim non eſt, quin antiquiſſimorum Philoſophorum placita, niſi, quae forte altercandi, innouandique multa, libido genuit, ex Poetis promanarint, (s) cum, ex iis omnem ſapientiam

(s) *Teſte Plutarcho in vita Homeri, qui ita loquitur,* καθάπερ δὲ περὶ τῶν θείων πολλοὶ καὶ ποικίλοι παρὰ τοῖς Φιλοσόφοις τὰς πλείστας ἀφορμὰς ἐξ ὁμήρου λαβοῦσιν, οὕτω καὶ περὶ τῶν ἀνθρωπείων πραγμάτων κ. τ. λ.

tiam deriuandam eſſe, ita omnes crederent, vt et illi, qui doctrinas Philoſophicas in ordinem Syſtematis redigere ſatagebant, eas Poetarum dictis confirmandas cenſerent, et alii, etiamſi iam harum rerum apta compendia extarent, easdem tamen ex Poetis et diſcere, et probare, maluerint. Pulcrum itaque erit, ſcire, quibus Poetae verſibus ſententias illas debeamus, quibus ſalutis ſuae partem ac ſapientiam ſingularem contineri, antiqui iudicarunt. Nec ſemel dogmata Philoſophorum ex Scholiaſte facilius, quam Philoſophis ipſis diſces, cum his obſcuras perinde et perſpicuas, illis vero, non niſi explanatas, afferre licuit. Sic e. c. doctrina Pythagorae et aſſeclarum de numeris, ſeu *θεολογία κατ' ἀριθμῶν*, vt Iamblichus (t) nominat, quantis tenebris ſit inuoluta, nemo huius Philoſophiae ſtudioſus ignorat. Neque fragmenta Nicomachi Anatoliique libro, qui *θεολογέμενα τῆς ἀριθμητικῆς* inſcribitur, comprehenſa, quae ſola ex hac Philoſophia ſupereſſe dicit Ioh. Schefferus, (u) has tene-

 bras

(t) *L. I. c. 28.*

(u) *De Phil. Ital. C. X.*

bras diſcutere valent. Non itaque inutiliter legentur, quae Proclus atque Ioannes Protoſpatharius, in Commentariis in Heſiodum copioſe, et alii Scholiaſtae ſparſim, ex hac Philoſophia protulerunt. Nec dogmata reliquarum ſectarum, hinc inde ex Scholiaſtis explicare, ſine fructu aliquis conabitur. Sed haec fuſius demonſtrare, non breuis commentationis, ſed iuſti voluminis, opus eſſet.

XVI.

Criticae quoque nec initia, nec incrementa ſatis cognita eſſent, niſi Scholia Graeca in Poetas lucem nobis praeferrent. Quamuis enim et alii autores, de artis huius, apud veteres, partibus, obiectis, vitiis, nonnulla, eaque non contemnenda commemorent, haec tamen et pauca ſunt, et ita comparata, vt neque ordinata aut temporum ſucceſſionibus accommodata, ſed confuſa, nec ad interiora veteris Criticae penetrans, ſed ſuperficiaria ſaltem Hiſtoria exinde conflari poſſit. Scholia vero tam largam huius hiſtoriae materiam ſuppeditant, vt, quicquid alio-

alioquin in veterum Critica obſcurum, aut plane abſconditum, videri poterat, ex his illuſtrari, lucique exponi poſſit. Quam enim multa ex Ariſtarchi, Zenodoti, aliorum, eorumque inſtitutis longe diuerſiſſimorum Criticorum, quam multa ex recentiorum Graecorum Critica, proferuntur, ex quibus et vitia illius, et virtutes intelligere poſſis. Vti enim non melius de praeſtantia artificis iudicatur, quam ſi in ſua officina, opereque aliquo conficiendo conſpiciatur, quod ibi ignorantia, vel etiam negligentia, in ipſum ſtatim opus redundat, ita vt a quouis animaduerti, ac manibus veluti palpari poſſit, ſic praeſtantiam veterum Criticorum cogniturìs adeundi ſunt illorum Commentarii, ſolliciteque animaduertendum, quae loca, quibus de cauſſis, qua ratione emendarint. Sic enim, qua in re peccarint, quid laudabile fecerint, facile intelligetur. Et dabunt veteres exemplum Criticae, magis pietati, quam integritati Poetarum inſeruientis, cum nihil in iis tolerarent, niſi quod cum religione, vel potius ſuperſtitione ſua, con-

ueniebat. In recentiorum autem Graecorum Scholiis inueniemus Criticam, in qua non tam emendandi ſtudio, quam reprehendendi libidini, obtemperatur. Et, ſi hoc pro voluptatis quadam ſpecie haberi poteſt, vt imaginem morum recentioris aeui in antiquis videamus, non iniucundum erit, in Scholiis exempla vitiorum, quae in noſtris deprehenduntur, quaerere. Nec inanem fore hunc laborem, autoritate Heinſii, (x) viri vtriusque Critices, et recentioris et antiquioris, callentiſſimi, probabo, qui nonnullos recentiorum Criticorum ita notat: *Quod (ſc. fingere) vtinam* inquit, *qui Criticos ſe hodie dicunt, neſcirent. Sed nihil hodie tam uanum, tam ineptum, tam ridiculum ſit, quin exemplum eius apud Graecos habeamus, ne rixae quidem et conuicia περὶ ὄνȣ σκιᾶς.*

XVII.

Tranſeo, miſſis breuitatis ſtudio reliquis, quibus vſui eſſe poterant Scholia, Hiſtoriae partibus, ad REM NVMISMATICAM, quae,

(x) *In Proleg. ad Heſiod.*

quae, quo maioribus tenebris inuoluta eſt, eo magis ex antiquis, diuerſiſſimisque, tum doctrinae, tum etiam artis, monimentis illuſtranda eſſe videtur. Vnde Scholia huic quoque vſui fore, non leuis coniectura enaſcitur. Qui tamen Scholiorum vſus, cum alia, eaque, ex ipſa eorum materie petita, argumenta accedant, non dubius, ſed certus et exploratus eſt. Atque cum nummorum explicationi multiplici ratione inſeruiant, non omnes, ſed potiores, neque, quae ad vnum alterumque ſaltem nummum ſpectant, ſed quae plurimis lucem affundunt, recenſebimus. Illud autem eſt in propatulo, ad Scholiorum, nummorum tenebras diſcutientium, claſſem illa cumprimis pertinere, quae de iis ita agunt, vt vel nomen, vel valorem, vel formam nummi indicent, vti in Scholiis minoribus ad Homerum, (y) nummus, qui Bos vocabatur: in Scholiis ad Ariſtophanem (z) Noctua et Collybus: ab Euſtathio (a) obolus deſcribitur. Haec enim, quam

(y) *Il. β. ad vocem* ἑκατόμβοιος.

(z) *In Auibus.*

(a) *Il. α.*

quam egregie artem numiſmaticam iuuent, parum etiam acutus videt.

XVIII.

Quo autem manifeſtior hic vſus eſt, eo amplior contra ille, quem aliis rationibus Scholia praeſtant. Nam ad vtrumque, quod in nummis conſpicitur, explicarique meretur, intelligendum faciunt, imaginem nempe, et ſcripturam. Habebat autem olim, quod nec a noſtris moribus alienum eſt, vnaquaeque prouincia ac vrbs, poteſtate monetae cudendae gaudens, ſuum typum, quem nummis ſuis imprimere ſolebat. Sic enim Athenienſes Noctuae, Crotoniatas Tripodis Delphici, Eretrienſes Dianae effigiem, in nummis effinxiſſe legimus, et alias ciuitates, alia, quorum Catalogum lege apud Hoſtium. (b) Quemadmodum vero eiusmodi inſignia plerumque vel ab initiis vrbis, vel a memorabili aliqua hiſtoria, vel a natura regionis, deſumuntur, ſic, qui ad quas prouincias vel vrbes ea pertinuerint, diſcere cupit, deſcriptiones hiſtoriasque earum cumprimis conſulere

(b) *De re Numiſm. Vet. L. I. C. VIII.*

ſulere neceſſum habet, et illas quidem, non veras ſolum, ſed etiam Mythicas et fictas, ſiquidem veteres, res ſuas, non prouti erant, ſed fabularum ornamentis auguſtiores redditas, poſteritati tradi voluerunt. Satius enim videbatur, Numini alicui, quam mortalibus, originem debere. Neque ſufficiebat ipſis, regionem, vel amoenitate vel vbertate celebrem, habere, niſi etiam, diuini quid ſubeſſe, a plebe crederetur. Hinc ergo factum eſt, vt, quam hiſtoriam nummis inſcribi voluerunt, fabuloſae alicui imagini includerent. Cum vero, quod iam ſupra monuimus, Scholiaſtae, vti in aliis hiſtoriis, ſic in vrbium provinciarumque quarundam originibus, iisque tum veris, tum etiam fabuloſis enarrandis, ſatis ſolertes fuerint; quam egregium in eruendis earum inſignibus, ſeu typis, quos nummis impreſſerunt, aut, ſi hi iam noti ſunt, in eorum rationibus cognoſcendis, et ea propter, nummis explicandis, vſum praeſtent, nullo negotio perſpicitur. Sic enim nummos, quibus ſolis imago inſcripta eſt, niſi aliud quidpiam, quod alii provinciae vindi-

vindicet, vna adiectum ſit, nemo non, nec male, Rhodiorum eſſe ſuſpicabitur, qui ea, quae Scholiaſtes Pindari (c) de hac inſula ex Mythica hiſtoria tradit, accuratius perpendit. Vt aliis exemplis in praeſenti parcamus.

XIX.

Caueant tamen ſibi rei Numiſmaticae ſtudioſi, ne illa quoque, quae Scholiaſtae, de hiſtoria vrbium ac regionum, ex ingenio magis, quam veterum hiſtoricorum libris, diſputarunt, ad explicandas nummorum imagines transferant. Quemadmodum enim, quae vera ſunt, optimas explicationes nummorum ſuppeditant, ſic, vt ingenioſe magis, quam vere dicta, falſae explicationi occaſionem dent, neceſſe eſt. Quod vt exemplo comprobemus, ea, quae de origine nominum a Scholiaſtis, ex Etymologia, diſputari ſupra diximus, (d) repetemus. Tradere Grammaticos diximus, Rhodum a roſa appellatam fuiſſe. Factum hinc eſt, vt herbam, cuius imago in nummis Rhodiorum conſpicitur, roſam

(c) *Olymp. Od. VII. 24. ad vocem:* τὰν ποντίαν.

(d) *§. V.*

roſam eſſe, rei Numiſmaticae doctores crederent. Nullam enim aliam huius aſſerti rationem reperire potuit Spanhemius, (e) quamuis ſolicite erroris originem inquiſiuiſſet. Erraſſe autem illos, ex argumentis, quibus illam imaginem Balauſtii, ſylueſtris herbae, eſſe, demonſtrauit, patet.

XX.

Nec minus reliquas, quae in nummis occurrunt, imagines auium, quadrupedum, piſcium, quas, quod nullibi terrarum tales beſtiae reperiuntur, Mythicas eſſe, nemo non iudicabit, magna ex parte ex Scholiaſtis explicare licet. Quid enim horum non a Poetis confictum, a Scholiaſtis autem, ſingulis partibus ex Poetarum ſcriptis collectis, deſcriptum fuit? Vnde ſequitur, vt rei Numiſmaticae ſtudioſus aeque minus Scholiaſtarum enarrationibus fabularum, carere poſſit, ac harum ipſarum interpres. Sed dices, haec Poetarum figmenta, a Scholiaſtis explicata, melius ex nummorum typis illuſtrari. Vnde

(e) *l. c. p. 319.*

Vnde ſequi videtur, quod nummis potius, ad Scholia penitus intelligenda, opus ſit, quam his, ad intelligendos nummos. Et fateor, qualia Poetae figmenta ſua eſſe voluerint, ex nummo quandoque accuratius, quam ex Scholio perſpici. Sed quam male, niſi cum Scholiorum doctrina ſtudium nummorum coniungatur, id fiat, exemplo docebo. Imaginem Syrenum ex nummo optime intelligi poſſe concedo. Fac autem, quendam, qui vel nunquam, Syrenas a Poetis confictas eſſe, didicit, vel alienam a doctrina Grammaticorum vel Scholiaſtarum deſcriptione, formam illis affingit, vt Aldobrandus, a Spanhemio (f) propterea notatus, fecit, in nummum, Syrenum imagine ornatum, incidere, ille certe, neque imaginem Syrenum illam, quam videt, eſſe ſciet, neque deſcriptiones, quas perfici ex nummis poſſe conceſſimus, exinde emendabit. Et ſic in multis aliis quoque nummis explicandis, Scholiorum doctrina non inſtructus, de imagine illorum non multo melius, quam coecus, iudicabit.

XXI.

(f) *De P. et V. Rei Numiſm. p. 215.*

XXI.

Scriptura vero quoque in nummis obuia, quae plerumque nomen, vel regis, vel vrbis, vel prouinciae, cuius autoritate ſignati ſunt, aut etiam eorum, quorum in honorem id factum eſt, exhibent, lucem aliquando ex Scholiis mutuatur. Singulae enim hae res, niſi forte ſcriptionis vel abbreuiatae, vel antiquatae, obſcuritas, Grammatices antiquae lucem deſideret, tantum ex Hiſtoria veteri explanandae ſunt. Cuius cum egregiam partem a Scholiaſtis traditam fuiſſe oſtendimus, non credibile eſt, hos ea tantum, infelici quodam ſidere, arripuiſſe, quorum in explicandis nummorum inſcriptionibus nullus eſſet vſus. Imo vero ſecus rem eueniſſe, exemplo demonſtrari poteſt. In ludis Graecorum vincere tam glorioſum erat, vt etiam nummis victoris nomen inſcribendum, eaque ratione, vti per vniuerſum terrarum orbem diuulgandum, ſic ad vltimam poſteritatem conſeruandum eſſe, cenſerent. Extant hodieque nummi victoriarum illarum teſtes, et in his illi, quibus Hieronis nomen inſcriptum eſt. Quem, cum Regem Siciliae fuiſſe ex Pindaro, Herodoto, Thucydideque conſtat, tum vero in ludis Graecorum victoriam reportaſſe, vel ex ipſis nummis cognoſci poteſt. In

quibus vero certaminibus, quoque tempore, quod ſcire non minus neceſſarium erat, id factum ſit, ex Scholiaſtis Pindari optime cognoſcetur, vtpote qui de his, non vno in loco, accurate diſputant. (g)

XXII.

Habes praecepta, quae, qualis, quantusque vſus Scholiorum noſtrorum, et in Hiſtoria et in re Numiſmatica ſit, atque, qua ratione idem ſit comparandus, docere poſſunt. Ne autem me nimis parcum in exemplis afferendis fuiſſe tibi perſuadeas, tecum perpendas velim, alios et ingenio et doctrina, et autoritate inſignes viros maiori induſtria ac eruditione id praeſtitiſſe, quam a me poterat expectari. Namque et Ioh. Meurſius vrbium Graecarum, imprimis Athenarum, Laconicique Regni, Hiſtoriam e Scholiis noſtris adeo feliciter et auxit, et illuſtrauit, vt fere omnem, aut ſaltem praecipuam, qua pollebat, doctrinam ex iisdem collegiſſe videatur, et Ezechiel Spanhemius, rei Numiſmaticae ſtudium ex Scholiaſtis Poetarum Graecorum, adeo ingenioſe amplificauit, vt quid huic addas, vix inuenias. Certe vtriusque et ingenium et diligentia tanta fuit, vt veſtigia eorundem legere, aut temerarium ſit, aut periculoſum.

DE

(g) *Ad Od. Olymp. I. Od. Pyth. I. II. III.*

DE SVBLIMI IN SCIENTIIS DISSERTATIO PHILOSOPHICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE SVBLIMI IN SCIENTIIS.

I.

QVid ſublime dici ſoleat, ſi ex aliquo ad res obuias paulo attentiore requiras, non incommodam illius vocis explicationem dari audies, eo quod res hoc nomine denotata hominum ſenſui in corporibus, ſiue natura factis, ſiue hominum artificumque manibus elaboratis, ſubinde ſubiicitur. Quod ſi enim in illa quis intellectus ſui, etſi nullis Logicae artificialis adminiculis ſuffulti, vim intendat, non poterit non intelligere, ſublime illud vocari, quod non niſi pluribus gradibus adire licet. Quae notio, quatenus corporibus applicatur, vtpote ex notionibus aliis claris compoſita, ſublimique corporum ab aliis rebus diſtinguendo idonea, *diſtinctis* notionibus annumerari meretur.

II.

Eadem autem notio quam primum, vel ad aliquem eruditionis partem, vel ad ſcientias generatim ſpectatas, nulla cautione adhibita, transfertur, in confuſam abit. Neque enim, qualis ſit ad veritates, quas ſublimes vocamus, aditus, aut qui ſint gradus, per quos eundum ſit, aeque clare, quam quid ſit, vel in montis verticem, vel in aedificii ſupremam contignationem aſcendere, cognoſcimus, ex qua notionum partialium obſcuritate, confuſio in totali reſultat. Et huic confuſae notioni debetur, quod, quae hominum, de ſublimi in corporibus obuio, iudicia audiuntur, vix diſſona reperiantur; contra quae, de ſublimi rerum in ſcientiis tradendarum, feruntur, hinc diſſentiant, hinc in veritatem infeliciter impingant.

III.

Neque opus eſt, vt exemplis doceamus, parum apte de ſublimi in ſcientiis ſaepe iudicari, cum ejus rei, non tam hominum verba, quam facta, nobis luculenta perinde

ac co-

ac copioſa teſtimonia exhibeant. Videmus enim non raro, quaeſtiones, easque ſublimiores, non diſputari ſolum, ſed et decidi ab iis, qui tantum a ſublimi earum capiendo diſtant, quantum montis radix ab eius vertice. Non autem hos tam ineptos eſſe facile putauerim, vt ſummum montis caput ſcandendo aſſequutos ſe eſſe putent, ſi, quanto interuallo ab eo diſtent, intelligerent. Id quod certiſſimo eſt indicio, incompetentes eiusmodi veritatum iudices, in qua illarum ſublimitate ſibi eundum ſit, ignorare, nec, quid ſublime in ſcientiis ab humili differat, perſpectum habere.

IV.

Quare cum non aliam ob cauſſam ſubinde ab hominibus peccetur, quam quod, qui peccant, quid ſublime in veritatum cognitione ſit, ignorent, haud difficulter patet, quantum momentum habeat, ſublime ab humili in ſcientiis diſtinxiſſe: praeſertim cum et ordinis in diſcendo obſeruandi interſit, notione rerum ſublimium diſtincta vti, ne

incauti ad ſublimia contendentes, vel in varias delapſi ambages, in via deficiamus, vel per ſaltum iisdem admoti, in praecipitio magis, quam ſublimi, ſolido fundamento nixo, incedamus. Huius itaque rei notionem diſtinctam tradituri, generatim in praeſenti de ſublimi in ſcientiis diſputabimus. Per SCIENTIAM autem intelligimus *omnem multitudinem demonſtratarum veritatum, quae ad idem obiectum ſpectant.* Quare quae de ſublimi dicturi ſumus, ad Philoſophiam aeque ac caeteras diſciplinas, in quibus demonſtrationes locum habent, applicari poſſunt, ita tamen, vt, quod in omni vniuerſalium rerum ad ſingulares applicatione requiritur, ſpecialia ex principiis ſpecialibus, non ex generalibus ſolis, deduci debeant.

V.

Quod ſi vero, quid ſublime in ſcientiis ſit, ab ea, quae in corporibus obſeruatur, ſublimitate diſcere velimus, ante omnia ſcientiarum corporumque rationes inter ſe comparandae ſunt. In his autem iam obſeruauimus

mus ſublime dici id, ad quod non niſi per multos gradus aſcendere poſſumus. Cui rei quidpiam in omni diſciplina ſeu ſcientia ſimile reperitur. Quasdam enim in iis tradi ſolitas veritates notionesque intellectu eſſe faciles obſeruamus, nec niſi communem, et qua ipſe vulgus vtitur, cognitionem in lectore, aut auditore, requirere, alias vero intelligi comprehendique non poſſe, antequam multas alias, easdemque nobis itidem nondum perſpectas, familiares nobis reddiderimus. Poſſunt hinc cum loco humili, ex quo quis ad ſublimiorem locum contendit, veritates notionesque in ſcientiis propoſitae a vulgi cognitione non multum abhorrentes: cum ſubliniori loco veritates et notiones, ad quas per alias peruenitur: cum gradibus locisque intermediis, notiones et propoſitiones illae comparari, quarum notitia requiritur, antequam ab vnius, ad alterius cognitionem, progredi liceat. Quo pacto facile patet SVBLIME in ſcientiis eſſe,

quod, niſi intellectis ante pluribus aliis, intelligi nequit.

VI.

Cum rebus demonſtrationem ingredientibus ſublime tribuatur, (§. V.) hae vero vel notiones ſint, vel iudicia ſiue propoſitiones, vel denique ratiocinia, vt ex forma demonſtrationis liquet, ſi, quid in ſingulis his ſublime ſit, explicemus, in vniuerſum ſublimis in ſcientiis rationes melius conſtabunt. Neque enim notionibus ſublimitatem tribuere dubitamus, cum haud raro plures, vel notiones aliae, vel propoſitiones, ante debeant intelligi, quam huius vel illius rei notionem aut excitare in nobis, aut an poſſibilis ſit, intelligere queamus. Id quod de quacunque generis ſuperioris notione valere, rerum Logicarum peritis haud erit obſcurum. Quamuis enim et notiones generis cuiuscunque, iſtis rerum ſpeciebus, quae primae in aliqua diſciplina nobis innotuerunt, proximi, aliquid ſublimitatis habeant,

cum

cum non immediate ad illas perueniamus, tamen cum haec ſublimitas parum a prima rei cognitione diſtet, et a nemine non facile attingatur, eam perinde inſuper habemus, vti vulgo infimo limini nullam ſublimitatem, quamuis ea non omnino careat, adſcribimus, et iis ſaltem in locis, vbi illuſtrior iam apparet, eam contuemur.

VII.

Hoc itaque, generum ſuperiorum notionibus aſſertum ſublime explicaturi, non tam imaginationis iuuandae, quam intellectus habebimus rationem, et proinde nullis, quae res corporeas ſublimes, generaque ſuperiora intercedunt, ſimilitudinibus enarrandis, ſed demonſtratione ſaltem rem conficiemus. Innoteſcit nempe ſublime in notionibus generum ſuperiorum obuium ex modo easdem formandi, quam Logica nobis praeſcribit. Hac enim praecipiente, poſtquam ſpecierum generumque diſtinctas notiones conſequuti ſumus, ſi ad genera ſuperiora adſcen-

ſcendere velimus, genus aliquod cum notionibus vniuerſalibus aliis comparandum, quidque in illis ſimile vel diſſimile reperiatur, obſeruandum, dein, omiſſis determinationibus diſſimilibus, ſimiles abſtrahendae, poſt peculiari termino denotandae, denique, crebriori rei abſtractae repraeſentatione, notio familiaris reddenda eſt, vt, excitata vocabuli notione, ipſius rei cogitatio animum ſtatim ſubeat. Quae omnia toties ſunt repetenda, quoties ab ea, quam hac ratione formauimus, notione generis, ſuperioris alicuius notio formari debet. Quod ſi enim horum quicquam neglexeris, aut confuſam ſaltem in te excitabis notionem, aut de eius realitate dubitabis, aut denique, in reproducenda illa, ſubinde haerere neceſſum habebis. Vnde manifeſtum eſt, non vnam curam rerumque conſiderationem requiri, ante quam ad generum ſuperiorum notiones perueniamus, quo ipſo earum ſublimitas eſt euicta. (§. V.)

VIII. Sed

VIII.

Sed cum duplex detur notiones vniuerſales, et conſequenter notiones generum ſuperiorum, formandi ratio, altera (§. VII.) enarrata, quae per abſtractionem fieri dicitur, altera, quae diuerſarum notionum arbitraria combinatione abſoluitur; haec poſterior ad iſtas notiones perueniendi ratio breuioris viae poterat videri, illa vero, quam longiorem eſſe oſtendimus, non tam ad ſublimitatem, quam per ambages non neceſſarias, nos ducere. Quod etiamſi vero eſſe ſimile exiſtimari poſſit, tamen ſi modum, formandi notiones per arbitrariam combinationem, curatius conſideremus, eam videbimus via non breuiori ad notiones generum ſuperiorum nos adducere, eoque, quam iſtis vindicauimus ſublimitatem, potius confirmare, quam deſtruere. Nam, quod primo notari meretur loco, notionum arbitrarie ſumtarum poſſibilitas, ſiue realitas, non aeque facile nobis innoteſcit, quam earum,

quas

quas abſtrahendo formauimus: cum in his per ipſam formationem realitas pateat, in iſtis vero, vel per demonſtrationem, vel per experientiam demum euincatur. Vt adeo quam in his formandis operam ponimus, in commonſtranda iſtarum, ſine qua nomen ſaltem notionis adeſt, realitate collocanda ſint. Conſtat ſecundo loco, per arbitrariam combinationem, aut ex notionibus generum, notiones ſpecierum, aut ex vnius ſpeciei, alterius notionem formari. Debet autem notio generis, cui adiiciendo nouam determinationem, notio ſpeciei, aut, ſi quae iam adſit, aliam determinationem adiiciendo, conſpeciei efficitur, (cum omnis noſtra cognitio a minus abſtractis oriatur,) modo (§. VII.) expoſito formata eſſe. Quare ſublimitas notionibus generum ſuperiorum §. dicto vindicata, in iſtis, quas vt partes ingrediuntur, notionibus itidem reperiri debet.

IX. Illud

IX.

Illud autem non negauerim, facilius quandoque vnum ad iſtas ſublimes notiones, atque alterum, peruenire. Nonnulli enim circa ſingularum notionum intermediarum, (quo nomine, quae, antequam a genere aliquo inferiori ad certum aliquod ſuperius perueniamus, formantur, notiones compellamus) perceptionem diutius haerere neceſſum habent, alii vero, in percepta aliqua re, abſtractiores iſtas notiones facillimo negotio perſpiciunt. Cuius rei ratio quaerenda erit in *acumine perſpiciendi vniuerſalia in ſingularibus*, *et magis vniuerſalia in minus vniuerſalibus.* Hoc enim, vi experientiae, non in omnibus aeque praeſtans eſt, quod vel non par ſit omnibus facultas a natura data, vel non omnes idem, in augendo acumine, ſtudium collocare poſſunt aut volunt. Quibus itaque haud vulgaris acuminis vis eſt; conceſſa, tanta cogitationum celeritate, per notiones minus abſtra-

ctas

ctas tranſeunt, vt, per quot veluti gradus eundum ſibi fuerit, ipſi diſtincte non cognoſcant, alii contra, pari acuminis gradu non ornati, non ſolum diutius ſingulis notionum minus abſtractarum inhaereant, ſed et hoc ipſo, quantum ſublimis aliqua notio a vulgaribus, et primum oblatis, diſtet, facilius obſeruant.

X.

Poſſunt autem homines ad eandem notionem ſublimem per diuerſas vias, ope abſtractionis, peruenire. Quoduis enim genus diuerſas admittit determinationes, ex quarum cum notione generis combinatione diuerſarum ſpecierum notiones oriuntur, quae adſcitis nouis determinationibus, in aliorum generum inferiorum, et tandem in ſpecierum notiones abeunt. Vnde fit, vt, quemadmodum a diuerſarum ſpecierum notionibus, ad idem genus, ita a diuerſis generibus inferioribus ad idem ſuperius aſcendere queamus. *Naturalis*, vt exemplorum

vtamur

vtamur luce, notio, quam ſublimiorem dicere non vereor, formari poteſt, ſi ab iis, quae in corporibus fieri obſeruantur, illius, quid ſit naturale in corporibus, abſtrahas notionem, et, omiſſa corporum notione, naturale generaliſſime definias: eadem tamen innoteſcit, ſi de rebus in anima noſtra occurrentibus, diſtincte philoſophemur. *Perfectionis* notionem generaliſſimam intelligimus ex perfectionibus in corporibus reperiundis, eadem tamen a rebus moralibus, Pſychologicis, aliisque poſſet abſtrahi.

XI.

Sed, cum a duabus notionibus inferioribus ad eandem ſublimiorem aſcendere liceat, fieri poteſt, vt vna admodum diſtet ab ea cognitione, quae vulgari attentione acquiritur, altera vero non niſi vulgarem requirat: vnde eſt, quod notio eadem, ſi ex duplici, qua ad eam peruenire homini licet, via aeſtimetur, nunc magis, nunc minus, ſublimis appareat. Sic notio *naturalis*

multo facilius ex conſideratione corporum elicitur, quam ſi ex principiis Pſychologicis iamiam ſublimioribus, debeat deriuari.

XII.

Notiones autem ſublimes duas aut plures, inter ſe comparantes, ſiue eae vt genera ſuperiora et inferiora erga ſe inuicem ſe habeant, ſiue eae plane diuerſae ſint, ſiue denique eadem, ſed quatenus a diuerſis notionibus inferioribus ſunt abſtractae, conſiderentur: intelligemus ſublime, quod vni ineſt, ita ab altero differre, quod nunc pauciores, nunc vero plures, notiones vel propoſitiones ſint formandae, ante quam illae, quibus ſublime adſcribitur, cognoſci poſſint. Cum illud, quo res ſimiles a ſe inuicem differunt, *gradus* earum conſtituat, multitudo diuerſa notionum, et propoſitionum, quae requiritur ad intelligendam aliquam notionem, fundamentum graduum exhibebit, qui in ſublimi ſcientiarum

tiarum diſtingui poſſunt. Gradus vero dari in ſublimi notionum, vel exemplis conſtare poteſt. *Obligationis* notionem, quam ICti Romani formarunt, ſublimioribus in Iurisprudentia annumerare non dubitamus, cum immediate ex legum Romanarum cognitione minime intelligi poſſit, ſed notiones plures, ante cognoſcendas, requirant. Debuerunt enim ante notionem e. c. *emtionis*, et *inde oriundae obligationis*, poſt, comparata hac cum aliis, notionem *obligationis conſenſu contractae*, mox *obligationis ex contractu* animo comprehendiſſe, quam *obligationis ex legibus Romanis* ortae notionem formarent. Non autem neceſſe fuit, vt illi viri a notione emtionis initium abſtrahendi facerent, cum a quacunque obligationis inferiori ſpecie, ad generalem obligationis Romanae notionem potuerint peruenire. (§. XI.)

XIII.

Hoc vero ipſo, quod attulimus, exemplo veluti moniti obſeruamus, eam, quae

in vna diſciplina ſublimis eſt, notionem, in altera, ſublimitate omni carere poſſe, ſi nempe in hac a notione, quae in illa ſublimis erat, initium abſtrahendi nouas notiones, fiat, quod, quamdiu adhuc varia in notione ſublimi diſtingui poſſunt, quo minus fiat, nihil prohibet. Obligationis ex Romanis legibus oriundae notio ſublimis eſt in Iurisprudentia. Philoſophus vero *obligationis* notionem abſtractiorem formaturus, cum obligationis exempla ſibi ante oculos ponere debeat, poterit ab hac *obligatione Romana* principium meditationis capere, a qua proxime ad *obligationis* forte *ciuilis* notionem, et per hanc *ad notionem obligationis philoſophicam* perueniet, quae eſt neceſſitas moralis aliquid agendi vel omittendi ob poenas vel praemia a ſuperiori praeſcripta. Qua in notione cum diu Philoſophi ſubſtiterint, ii, qui acumine inſigniori pollebant, omiſſa *ſuperioris* notione, *obligationem* definiuerunt per *neceſſitatem aliquid agendi vel omittendi a nexu praemio-*

rum

rum et poenarum cum actionibus ortam. Quam notionem abſtractiorem, eoque ipſo ſublimem, vſu non deſtitui, ex recentiori Philoſophia haud obſcurum eſt. Neque tamen, vt in hac notione pedem figamus, neceſſum eſt, cum, etſi poenae et praemia rationem obligationis non in ſe contineant, *obligatio* tamen oriri poſſit *ex repraeſentatione perfectionis vel imperfectionis cum actione omittenda vel ſuſcipienda connexae.*

XIV.

Habent ſcientiis amplificandis operam dantes, in quo ſublime ſectari poſſint, iudicandi quoque, ratiocinandique facultatem. De qua vtraque ſimul dicemus, quod, ſi iudica ſublimia eſſe debeant, plerumque ratiocinandi haud mediocris habitus in iudicante requiritur. Primo itaque ſublimitatem omnibus de genere aliquo ſublimiori latis iudiciis tribuimus, cum iudicia iſta, perinde vt ipſae, ex quibus formantur, notiones, niſi intellectis aliis, intelligi nequeant

queant. (§. VII.) Sed cum haec per ipſam notionum ſublimitatem pateat, de ea potius ſublimitate iudiciorum dicemus, quae ex demonſtratione propoſitionum reſultat.

XV.

Patet nempe ex Logicorum praeceptis, quaedam iudicia immediate ex notione rei, ſiue ſingularis ſit, ſiue vniuerſalis, formari poſſe, eorumque veritatem, intellecta ſaltem ſubiecti notione, ſtatim intelligi: quaedam etiam, etſi, intellecta ſubiecti notione, non ſtatim eorum veritas pateat, tamen, vel ob perpetuam experientiae confirmationem, vel ob dicentis autoritatem, ſine vlteriori probatione, vt vera ſumi poſſe: quaedam vero, quae veritates demonſtrabiles vocant, non niſi adhibitis aliis iudiciis in formam ratiociniorum redactis, aut intelligi, aut an vera ſint, cognoſci poſſe. Cuius rei rationes vt hic ſollicite exquiramus, nec breuitas, cui ſtudendum

dum eſt, permittit, neque ſublimis, in iudiciis obuii, explicationem multum iuuat. Sufficit per experientiam conſtare, non ſolum iudicia plura, ad oſtendendam alterius veritatem, ſubinde requiri, ſed et ſaepe contingere, vt iudicia, praemiſſorum loco aſſumta iterum ſint demonſtrabilia, quorumque adeo veritas nouo ratiocinio ſit exploranda. Vnde ſequitur, illam veritatem demonſtrandi rationem eo vsque eſſe adhibendam, vsque dum ad iudicia non demonſtrabilia perueniatur. Qua veritate in tuto colocata, dubitari nequit, omnem propoſitionem demonſtrabilem requirere certam iudiciorum ratiociniorumque multitudinem, per quam demum veritas eius nobis innoteſcat. Quae quamdiu intra eos fines ſubſiſtit, vt vulgaris ad ratiocinia attentio iis intelligendis ſufficiat, cur a communi ratiocinandi habitu diſtinguatur, ratio nulla adeſt, vbi vero catena ſyllogiſmorum longior euadit, quam vt quiuis eam facile animo complecti poſſit, ſublimitatem iudicii

infert. Vnde patet iudiciorum ſublimitatem multitudine iudiciorum et ratiociniorum ad ea demonſtranda, aut intelligenda, requiſitorum, contineri. Sed cum non aequalis, ad intelligendas ſingulas propoſitiones, aliarum multitudo requiratur, eoque ipſo diuerſitas in ſublimi adſit, et huic gradus poterunt adſcribi. (§. XII)

XVI.

Quos ſublimis in propoſitionibus obuios gradus, ſi accuratius aeſtimare, et, quaenam duarum propoſitionum ſit ſublimior, conficere velimus: aut vtriusque demonſtrationis integram formam nobis velut ante oculos ponere, aut alium, principiis demonſtrationem conſtituentibus non imbutum, de veritate propoſitionis conuincere, debemus. Neutrum enim horum praeſtari poterit, niſi ſingulae propoſitiones iuſto ordine proponantur, quo ipſo earum multitudo, ſiue ſublimitas, innoteſcit. Ponamus aliquem, nullis Philoſophorum doctri-

doctrinis edoctum, de eo conuincendum eſſe: mundum hunc eſſe optimum, experiemur eum per veritates Ontologicas, Coſmologicas, Theologicas, prius manu quaſi ducendum eſſe, antequam, mundum hunc eſſe optimum, non credat, ſed ſciat. Contra propoſitionum ſublimitatem, illiusque gradus, non facile aduertunt, qui principia demonſtrationem ingredientia iam habent familiaria. Longius enim iam, vltra primas notiones propoſitionesque, progreſſi, a qualibet, etſi ſublimiori, tanquam e domo ſua, ad aliam progrediuntur. Vnde fit, vt breuior iſtis ad aliquam veritatem perueniendi videatur via, quam eam reuera eſſe alii experiuntur.

XVII.

In laudibus librorum Syſtematicorum commemoratur, omnia in iis eo loco tradi, quo ex ante poſitis intelligi demonſtrarique poſſunt, ſimulque locos ſemper, vnde explicationes vel demonſtrationes repetendae

ſint, indicari. Ex qua horum librorum conditione, vſus vulgo haud obſeruatus reſultat, quod vna cum veritate, ſublimitas propoſitionum lectori innoteſcat. Enim vero, ope illius concatenatae definitionum propoſitionumque citationis, vel oculis cerni poteſt, quot vel definitiones, vel propoſitiones, ad aliam aliquam, vel intelligendam, vel demonſtrandam, requirantur, quod eſt ipſis iudicii ſublimitatem intellexiſſe (§. XV.) Quamuis vero, ſi vnius ſaltem propoſitionis ſublimitas foret determinanda, id modo (§. XVI.) expoſito fieri poſſet, hoc tamen libris ſyſtematicis proprium eſt, quod non vnius, ſed omnium propoſitionum demonſtratarum, ſublimitas, cum ipſa veritate, in iis facillime euincatur.

XVIII.

Caeteroquin, vt ſublime de re aliqua ſit iudicium, nihil intereſt, ſiue ſingularis ea ſit, ſiue genus aut ſpecies. De generibus equidem ſupe-

ſuperioribus ſublimia proferri poſſe non facile quis dubitabit, cum ipſae eorum notiones ſint ſublimes (§. VI.) Sed circa res ſingulares, quas alioquin ſenſu percipere ſolemus, et a quibus principium cognitionis capimus, forte dubium alicui ſubnaſci poſſet. Has vero ipſas iudiciis ſublimioribus formandis aptas eſſe, manifeſtum eſt, cum, quamprimum iudicium aliud ſublime iisdem iungitur, concluſio ſimilis neceſſario eliciatur. Id autem fieri vel ideo poteſt, quia nulla res ſingularis eſt, quae non cum genere aliquo ſublimiori aliquam ſimilitudinem habeat, et propterea illius praedicata in ſe contineat. Nec exempla huius rei rara ſunt. De Catone ſubinde Seneca, de Confucii Philoſophia Celeb. WOLFFIVS, ſublimia expoſuit. Inprimis vero hic eſt Mathematicorum mos, vt ſi quod haud vulgare, in ſyſtemate corporum coeleſtium, ſpectaculum contingat, in illud omnem diſciplinae ſuae vim conferant, miram-

ramque in illius rationibus exponendis ſublimitatem oſtendant.

XIX.

Saepe autem contingit, vt propoſitionem aliquam non ſine longa ratiociniorum ſerie vel demonſtratam, vel demonſtrandam, tanquam notionem aliquam complexam conſideremus: E. c. quando ſyſtema harmoniae praeſtabilitae, aut propagationem animae per creationem nominamus, voces has ad propoſitiones iisdem aequiualentes reduci poſſe manifeſtum eſt. Quare ſi propoſitiones in notiones transformatae ſublimitate gaudeant, eadem in notione propoſitioni reſpondente reperiri debet. Vnde ſequitur ſublimitatem notionum non ab abſtractione ſolum pendere, ſed et a demonſtrationis longitudine.

XX.

Sublimiora in diſciplinis traduntur, ſi ex veritatibus iam cognitis aliae deducantur, quarum

quarum adeo cognitio iſtarum notitiam ſupponit. Hoc vero quoties fit, numerus veritatum inuentarum toties augetur. Scientiae, cum ſint complexus demonſtratarum veritatum ad idem obiectum ſpectantium, nulla alia in iis perfectio locum habere poteſt, quam quae, vel ex multitudine rerum demonſtratarum, vel ex demonſtrandi rigore adhibito, reſultat. Quare cum, per ſublimitatem rerum in ſcientiis traditarum multitudo veritatum demonſtratarum augeatur, ſublimitas perfectionem ſcientiarum conſtituit.

XXI.

Reſultat tamen ex rerum in ſcientiis ſublimitate, ea, quam rerum non ſatis gnari pro imperfectione habebunt, ſcientiarum affectio, quod, quae vltimo loco tradenda et intelligenda ſunt, niſi priora fuerint intellecta, obſcura lectori appareant. Quod equidem negari nequit. Generum enim inferio-

inferiorum notiones niſi ſucceſſiue nobis repraeſententur, vt per attentionem lente ab vnius ad alterius conſiderationem progredi queamus, ob multitudinem rerum, quas ſimul exhibent, obſcuras efficiunt perceptiones partiales. Eſt autem generis ſuperioris notio ſemper partialis in totali generis inferioris comprehenſa (§. VI.) vnde eam, primo praeſentatam, obſcuram eſſe mirum non eſt. Propoſitionum vero, in quibus ſubiecti et praedicati nexus non niſi per demonſtrationem innoteſcit, demonſtratione nondum familiari reddita, cur nexus non appareat, per ſe patet. Sed ex ea obſcuritate, quae, iuſto acumine adhibito, tolli poterat, haud raro rei propoſitae omnimodam obſcuritatem, et veluti intrinſecam, colligunt. Narrant Io. Clericum acceptas a Leibnitio, vt diariis ſuis inſereret, de Harmonia Praeſtabilita meditationes, ineditas eidem reddidiſſe, quod, vt obſcurae, in iis locum haud mererentur.

tur. Non autem miror, viro caeteroquin doctiſſimo obſcura fuiſſe viſa, quae omnem fere Pſychologicam, Coſmologicam, aliasque Theorias, a Leibnitio animo conceptas, ſed a Clerico non intellectas, antequam intelligi poſſent, requirebant.

XXII.

Poſſunt hactenus de ſublimi in ſcientiis tradita, vtpote ſaltim ex formatione notionum et demonſtrationum deducta, ad omnem ſcientiam transferri. Neque tamen propterea ſpecialium diſciplinarum ſublimi diiudicando ſufficiunt. Pendet enim ſublime a multitudine notionum et propoſitionum, quae inter primam notionem vel propoſitionem, et ſublimes, interſunt. Vnde adeo patet, in huius vel illius diſciplinae, aut veritatis in hac comprehenſae, ſublimitate iudicanda neceſſe eſſe, vt quaenam ſint primae notiones, aut propoſitiones, in data aliqua diſciplina, accurate diiudicetur. Ex

quo deinde, quantum propoſitio ſublimis ab vltima diſtet, poterit iudicari.

Habes, L. B. *ſublimis in ſcientiis* breuem Theoriam, nullis quidem methodi mathematicae ſignis, oculum ferientibus, diſtinctam, ita tamen adornatam, vt in ea nihil fuerit admiſſum, quod non ex notionibus rerum commemoratarum, quas ex ſyſtemate Cel. Wolffii deſumtas eſſe profitemur, ſponte ſua fluat. His itaque, qui eas familiares habent, omiſſa licet definitionum commemoratione, plana tamen, quae diximus, fore confidimus, atque perſpicua, cum caeteros, earum nondum gnaros, ne quidem appoſitarum definitionum non iterata lectio multum profutura videatur.

THEORIA
DEFINITIONVM
EXEMPLIS
POTISSIMVM MATHEMATICIS
ILLVSTRANDA.

PROLVSIO
AD
PRAELECTIONES PHILOSOPHICAS.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEORIA DEFINITIONVM EXEMPLIS POTISSIMVM MATHEMATICIS ILLVSTRANDA.

TAnta nonnulli eorum, quos eruditos appellant, ingenii deprauatione laborant, vt quandam officiorum partem ſeſe exſequi putent, ſi rationis, qua nexum veritatum vniuerſalium perſpicimus, vſum dubium, ſuſpectumque reddere, eoque homines, quamuis id ſe agere negent, a cultura rationis abducere ſatagant. Quo nomine priſca Academicorum et Pyrrhoniorum cohors in omnium fere reprehenſionem merito incurrit, quae cum ab aſſerendo affirmandoque ſtudioſe abſtineret, hoc vnum ſe exploratum habere contendit, mentem noſtram nihil certo cognoſcere poſſe. Nec etiam noſtro, artibus licet atque ſcientiis cultiſſimo, ſeculo viri deſunt, quos ſi autores ſequamur, rationi noſtrae pretium

non adeo magnum ſtatuemus, tutiusque verſabimur, ſi inſitum menti ſtuporem patienter feramus, quam ſi, iſto excuſſo, ad ſolidam veritatis cognitionem, alacri erectoque animo, contendamus. Sed exiles has, frigidasque, de rationis noſtrae vi, ſententias ſcientiarum Mathematicarum contemplatio feliciſſime reprimit, vtpote quae res ſenſui ſubiectas, eidemque ſubtractas, ſimpliciores item et maxime implicatas ad doctrinas aeque certas, pariterque amplas et copioſas, reuocant, innumerisque exemplis docent, multa, quae abdita nunc ſunt, et rationis noſtrae limites ſupergreſſa videntur, ſuccedente tempore erui, et in lucem protrahi, poſſe. Sic Matheſis non ſolum rationis vim oſtendit, ſed et rectum ratione vtendi modum, exemplis, tam luculenter commonſtrat, vt Logicam, illamque quantitatum ſcientiam, ſingularem nexum et quaſi neceſſitudinem intercedere ab eruditis dudum obſeruatum ſit; id quod tractatione pereruditа explicandum ſibi quondam ſumſerat Summe Vener. FRID. PHIL.

PHIL. SCHLOSSERVS in Diſſertatione *de ſororio Logices et Matheſeos nexu.* Vti vero illa diſciplinarum commemoratarum coniunctio, per ſingula Logicae eundo capita, vbiuis cognoſcitur, ita ea in *Theoria Definitionum* inprimis manifeſta eſt, quippe *quam nec recte intelligere, nec familiarem nobis reddere poſſumus, niſi pleraque eius praecepta exemplis Mathematicis illuſtrentur.* Quod vt demonſtrem, id ante omnia mihi a lectoribus dari cupio, omnesque facile daturos confido, nos Theorias ſublimiores ſiue abſtractiores nec perfecte intelligere, nec familiares nobis reddere poſſe, niſi ſingulas earum definitiones et propoſitiones cum exemplis aſſidue comparemus. Si enim deinde probatum dedero, exempla regulis definiendi illuſtrandis idonea, in diſciplinis Philoſophicis, nonniſi rariſſima, et intellectu difficiliora deprehendi, id quoque me confeciſſe putabo: Definitionum Theoriam exemplorum ex Matheſi depromptorum luce ſummopere indigere.

Primariam definiendi regulam hanc eſſe arbitror: *Definitionem aut eſſentialia rei, aut*

attributum proprium, aut attributa communia, continere debere. Huius autem regulae vim vt teneas, exempla ex Matheſi deſumta ante oculos ponere, et in iis attentionem defigere, neceſſe habes. Quamuis enim definitionum, eſſentialia rei definitae exponentium, exempla plurima per omnem Philoſophiam ſparſa ſint, illas tamen, ab *attributo proprio* deſumtas, extra Matheſeos pomoeria fruſtra requires. Scilicet ſi omnia Philoſophiae capita circumſpiciamus, vix aliam, ex omnibus definitionibus, ad iſtud genus referre poterimus, niſi forte 1) notionem *quantitatis* Ontologicam, qua, diſcrimen internum rerum ſimilium, eſſe dicitur, 2) notionem *Dei*, cuius attributa, cum ſingula ipſi ſint propria, ſingula quoque definitionis indolem habent. In Matheſi contra, et ſigillatim in Geometria, nulla fere figura explicatur, quin aliquot eius attributa propria commemorentur et demonſtrentur, vnde nouae earundem figurarum definitiones prodeunt. Sic *Trianguli rectanguli* proprietas ſeu attributum proprium eſt: quadratum hypothenuſae aequale eſſe quadratis reliquo-

rum

rum laterum ſimul ſumtis. Haec itaque trianguli rectanguli nota tantum, quantum definitio, valet. Quod ſi porro huius figurae hypothenuſa dicatur $= a$, reliquorum laterum vnum $= b$, alterum $= c$, eadem definiri poterit per triangulum, in quo $a^2 = b^2 + c^2$. *Parallelogrammi* attributum proprium eſt; quod per diagonalem in duo triangula aequalia diuidatur. *Trianguli rectilinei* proprietas eſt: quod ſumma angulorum ſit ad rectum in ratione dupla. Singulae itaque hae figurarum dotes definitionum vice funguntur. Vt exempla alia innumera, quae Matheſis ſuppeditat, taceam.

Par eſt ratio *definitionum ex attributis communibus conflatarum*, quae quo modo formandae ſint, facilius exemplis numerorum et quantitatum, quam aliarum rerum, docetur. Numeris imprimis haec Theoria illuſtratur. Septenarius e. c. numerus maior eſt ſenario; id quod illius attributum eſt, commune tamen, omnibus ſcilicet numeris ſeptenario maioribus. Idem numerus minor eſt octonario. Quare et hoc pro attributo illius numeri habendum eſt, ſed itidem communi, nempe

omnibus ſeptenario minoribus. Vt itaque neutrum horum attributorum, ad definitionem iſtius numeri conſtituendam, ſufficit, ita contra iunctim ſumta ſufficientem eius notam efficiunt. In hoc itaque exemplo, et ſimilibus, enarrata definiendi ratio admodum perſpicua eſt. Vtut vero res quoque aliae, maxime Phyſicae, ex eiusdem regulae praeſcripto definiantur, etiamiam paſſim definitae ſint, id tamen, ne pro exemplis eſſe commode posſint, difficultatis habent, quod datas, definitionis loco, notas rei ab omnibus aliis diſcernendae ſufficere, vix vnquam certo cognoſcamus. Sic aurum definiri poſſe videtur per metallum rutilum, aqua XIX. vicibus grauius, et aqua regia ſolubile. Sed quis vnquam aliud corpus, quod aurum non ſit, iisdem dotibus inſtructum exornatumque eſſe non poſſe, demonſtrabit?

Praecipiunt porro Logici, *definitiones, non iuſtas ſolum, ſed et foecundas, a relationibus rerum aliarum ad definitam deſumi poſſe.* Quae regula, cum ad omnis generis obiecta, definitione explicanda, pertineat, hucusque tamen

men vix vllis, niſi Mathematicis, diſciplinis vſum aliquem praeſtitit. Ipſa Geometria huiusmodi definitiones ſinu ſuo protulit, ex quibus luculenta ſatis eſt illa figurae regularis: quod circulo inſcribi queat. Quas vero Algebra, cuius beneficio abſtruſiſſimas veritates detectas eſſe omnes fatentur, definitiones linearum curuarum exhibet, illae in vniuerſum ad hunc ordinem pertinent. Aequationes enim omnes, quibus definitiones Algebraicae abſoluuntur, nil niſi relationes, aut abſciſſae ad ſemiordinatam, aut ſemiordinatae ad parametrum et abſciſſam, explicant. Quid itaque ad dignitatem et varietatem huiusmodi definitionum cognoſcendam magis valebit, quam crebrior et attenta horum exemplorum contemplatio?

Id quoque animi ſcientificae cognitionis cupidi noſſe intereſt, *quot quibusque rationibus rei vnius definitiones commutandae, et in alias formulas transfundendae ſint.* Sed totam hanc definitionum commutationem, leuiter ab autoribus tactam, deprehendo, vt eam, quid ſibi velit, exemplo declarare opus eſſe videatur. Numeri optime expli-

cantur, ſi minores, ex quibus numerus datus componitur, ſigillatim exponantur. E. c. $6 = 4 + 2$. Cum vero numeri definitionem ingredientes ipſi ex aliis componantur, pro horum diuerſa combinatione, diuerſi quoque, numeri prioris, valores ſiue definitiones prodeunt. Sic enim numerus ſenarius pluribus modis explicari poteſt, quos omnes illuſtrationis cauſa apponemus: $6 = 4 + 1 + 1 = 3 + 3 = 3 + 2 + 1 = 3 + 1 + 1 + 1 = 2 + 2 + 2 = 2 + 1 + 1 + 1 + 1 = 1 + 1 + 1 + 1 + 1 + 1$. Quia autem numeri non ſolum per reſolutionem in vnitates, ſed et aliis rationibus, explicari poſſint, nouae eundem numerum definiendi formulae prodeunt e. c. $6 = 2 + 2^2 = 4 + 5 - 3 = 2 + 8 : 2$, vt plures ſtudio omittamus. Haec autem definitionum ſubſtitutio non propria numeris, ſed omnibus rerum diſtinctis notionibus communis eſt. Etenim quemadmodum, ex diuerſa vnitatum combinatione, variae eiusdem numeri formulae prodeunt, ita rei cuiuscunque notiones partiales, ſi diuerſis modis coniungantur, terminisque diuerſis exprimantur, inſignem definitionum, eandem rem explicantium, copiam proferunt. Tentabimus rem exemplo non Mathematico. Definitionem animae humanae ingrediuntur notiones partiales:

les: entis ſimplicis, intelligentis, per corpus limitati: ex quibus varie coniunctis ſequentes definitiones exſurgunt. Anima eſt ſpiritus corpore organico limitatus: eſt ſpiritus corpore praeditus: eſt ens ſimplex mundum ſibi repræſentans pro ſitu et ſtatu corporis: eſt ſubſtantia cogitans corpore limitata: eſt ens vi cogitandi, per corpus limitata, inſtructum. Fateor hoc exemplum tantam definitionum, eandem poteſtatem habentium, copiam non proferre, quantam in priori obſeruauimus. Sed hoc ipſum eſt, quod oſtendere volui, nullam diſciplinam ad illuſtrandam definitionum Theoriam plus lucis afferre, quam Mathematicam.

Vereor autem, ne quis ex eo, quod definitionum Theoriam, notionibus inprimis Mathematicis, illuſtrandam eſſe contendimus, hanc aliis ſcientiis effingendis addiſcendisque non aeque accommodatam eſſe, praecipitato argumento, concludat. Vt enim in officinis inſtrumenta, rarius ad vſum translata, caeteris, quae quotidie manibus teruntur, vtilitate non cedunt, ita Theoriae, de qua diximus, pretio nihil detrahit, quod partim, vt nuper admodum inuenta, nondum pluribus argumentis applicata ſit, partim etiam plerisque Philoſophiae capitibus, quippe nondum vltra primas

primas lineas progreſſis, applicari ne quidem potuerit. Is certe, qui aliorum inuentis non ſatiatur, ſed ad ſublimiora, ſuis nixus viribus contendit, vberrimum praeceptorum, de quibus diſſeruimus, vſum experiundo cognoſcet.

Poſſem, *Generoſi, Nobiliſſimique Academiae Ciues, Commilitones obſequioſe colendi*, id, quod declarandum mihi ſumſi, argumentum pluribus ſpeciminibus comprobare, niſi hanc ſcriptionem alloquendi potius, quam Vos docendi, gratia ſuſceptam eſſe recordarer. In eo ſcilicet ſum, vt praelegendo explicandoque diſciplinas Philoſophicas Vobis, Veſtrisque ſtudiis, pro virium mearum menſura, inſeruiam. Quo animo non ſolum *Inſtitutiones Logicas et Metaphyſicas* Vobis offero, ſed et *Ius Gentium, methodo ſcientifica concinnatum*, explicandum ſuſcipio. Tradam quoque *Logicam ſacram*, qua omnem notionum, terminorum, propoſitionum et demonſtrationum Theologicarum, cum regulis Logicis communibus conuenientiam, vel ab iisdem diſcrepantiam, explanabo. Quas tractationes, quo certius veſtra, vel Theologica, vel legum, ſtudia adiuuabunt, eo facilius vobis ſeſe commendaturas, veſtramque beneuolentiam promerituras eſſe confido. Scrib. Vitebergae XV. Kal. Iun. cIↃ IↃCC XXXVIII.

SYL-

SYLLOGE
SENTENTIARVM
LEIBNITIANARVM
IN VSVM
COLLEGII DISPVTATORII.

Digitized by Google

SYLLOGE SENTENTIARVM LEIBNITIANARVM.

I.

IVſtitiam commodiſſe definimus per charitatem ſapientis, hoc eſt, ſequentem ſapientiae dictata.

Praef. ad Cod. Iuris Gentium Diplomaticum.

II.

Iucundum eſt in ipſa veterum ſimplicitate et ſoloeciſmis humani ingenii et linguarum viciſſitudines obſeruare.

loc. cit.

III.

Il n' y a point de mouvement, quand il n' y a point de changement obſervable. Et même quand il n' y a point de changement obſervable, il n' y a point de changement du tout.

Ep. V. ad Clarkium §. *52.*

IV.

Une ſimple volonté ſans aucun motif, eſt une fiction chimerique et contradictoire, incompatible avec la definition de la volonté.

Ep. IV. ad S. Clarkium §. 2.

V.

Ex multis congruentiis inſenſibilibus oritur voluptas.

Ep. ad Chr. Goldbachium, quae eſt CLIV. T. I. Epiſtol. Leibnitian. a Cl. Chr. Kortholtio edit.

VI.

Vt reipublicae, ita multo magis vniuerſi, intereſt, ne quis re ſua male vtatur.

Praef. ad Cod. Iuris Gent. Diplom. T. I.

VII.

Nous pouvons louer et blâmer les bonnes et les mauvaiſes qualités naturelles, où la volonté n' a point de part, dans un diamant, dans un homme: et celui, qui a dit de Caton d' Utique qu' il agiſſoit vertueuſement

ment par la bonté de ſon naturel, et qu' il lui étoit impoſſible d' en uſer autrement, a cru le louer d' avantage.

Eſſais ſur la bonté de Dieu §. 75.

VIII.

Aucune ſubſtance n' eſt abſolument mépriſable, ni précieuſe devant Dieu.

loc. cit. §. 118.

IX.

Tout eſt lié dans la nature.

loc. cit. §. 119.

X.

Non nobis tantum nati ſumus, ſed partem noſtri ſibi alii vindicant, Deus totum.

Epiſt. ad S. W. Molanum. vid. Epiſt. Leibn. T. II. Ep. XVI.

XI.

Nos grandes perceptions, et nos grandes appetits, dont nous nous apperçevons, ſont compoſez d' une infinité de petites perce-

ptions, et de petites inclinations, dont on ne ſçauroit s' apperçevoir.

T. II. du Recueil. p. 328.

XII.

Les verités, qui regardent la Divinité, ſont toûjours bonnes à dire, au moins par rapport au ſcandale.

Reflexions ſur le Livre de M. Hobbes §. 8.

XIII.

Ce n' eſt pas la Raiſon, qui eſt nuiſible en ſoi, mais le défaut de la Raiſon.

Remarques ſur le livre de l' origine du mal §. 27.

XIV.

Ob rerum certitudinem preces laboresque non fiunt inutiles ad obtinenda futura, quae deſideramus.

Cauſa DEI aſſerta per iuſtitiam eius §. 44.

XV.

Ceux qui s' appliquent à mepriſer les anciens, font connoitre leur vanité, et ceux qui

qui mepriſent les modernes, donnent des marques de l' ignorance ou du moins de la precipitation.

Lettre a Mr. la Croze. vid. Epiſtol. Leibnit. T. I. Epiſt. CCXLIV. n. 1.

XVI.

Il n' y a point de corps, qui ſoit parfaitement et entierement en repos.

Ep. V. ad Sam. Clarkium §. 53.

XVII.

Cette eſpece de neceſſité eſt heureuſe et ſouhaitable lorsqu' on eſt porté par de bonnes raiſons à agir comme l'on fait:

XVIII.

Mais la neceſſité aveugle et abſolüe renverſeroit la pieté et la morale.

Reflexion ſur le livre de M. Hobbes §. 3.

XIX.

Ius naturae nunc magis ſermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.

Ep. ad G. W. Molanum. vid. Ep. Leibn. T. II. Ep. XVI.

XX.

La malignité naturelle du coeur humain rend ordinairement les attaques plus agreables au lecteur, que les défenſes.

Preface de la Theod. p. 41. Ed. Amſtel. 1734.

XXI.

Les erreurs mêmes ont leur utilité quelquefois; mais c' eſt ordinairement pour remedier à d' autres erreurs, et la Verité vaut mieux abſolûment.

loc. cit. p. 17.

XXII.

Vellem *corpus humanum* deſcribi principio ſumto a cauſa finali, ſeu officio, et dicere ſoleo: eſſe machinam conſeruandae contemplationis gratia inuentam.

Epiſt. ad Celeb. Mich. Gottl. Hanſchium. vid. Principia Philoſophiae Leibnitianae Def. CXCVII. Schol. II.

XXIII.

La Metaphyſique a été traitée ordinairement en ſimple Doctrine des Termes, comme

me un Dictionaire Philoſophique, ſans venir à la diſcuſſion des Choſes.

Ep. V. ad Clarkium §. 26.

XXIV.

La Philoſophie ſuperficielle, comme celle des Atomiſtes et Vacuiſtes ſe forge des choſes, que les raiſons ſuperieures n' admettent point.

loc. cit.

XXV.

Qui amore DEI, aut proximi, benefacit, in ipſo recte facto inuenit voluptatem, neque alio ſtimulo indiget, aut iuſſu ſuperioris opus habet.

Ep. ad G. W. Molanum Epiſt. Leibnit. T. II. Ep. XVI.

XXVI.

J' aime des maximes, qui ſe ſoutiennent, et où il y a le moins d' exceptions qu' il eſt poſſible.

Theod. §. 90.

XXVII.

Le mal moral conſiſte dans le mauvais choix.

Remarques ſur le Livre de l' orgine du mal §. 12.

XXVIII.

Les *raiſons* de nôtre perſuaſion ſont de deux ſortes, les unes ſont *explicables*, les autres *inexplicables*.

XXIX.

Celles que j' appelle explicables, peuvent être propoſées aux autres par un raiſonnement diſtinct ; mais les raiſons inexplicables conſiſtent uniquement dans nôtre conſcience ou perception, et dans une experience de ſentiment interieur, dans lequel on ne ſcauroit faire entrer les autres, ſi on ne trouve moyen de leur faire ſentir les mêmes choſes de la même façon.

Lettres de M. Leibniz et M. Peliſſon. p. 238.

XXX.

Je trouve que c' eſt un defaut des Hiſtoriens, qu' ils s' attachent plus au mal qu' au bien.

Theod. §. *148.*

XXXI.

Plus un grand et bon Prince aura ſoin de ſa gloire, plus il penſera à rendre ſes ſûjets heureux, quand même il ſeroit le plus abſolu de tous les Monarques, et quand ſes ſujets ſeroient des eſclaves nés, des hommes propres, des gens entierement ſoumis au pouvoir arbitraires.

Theod. §. *89.*

XXXII.

Mos regnans ſeculi Metaphora quadam *genius* dicitur.

Epiſtola ad Seb. Kortholtum. vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CCIX. 3.

XXXIII.

Le mepris de Peres pouſſé a outrance rejaillit ſur la religion Chrétienne, et ſi elle

n' a jamais eu des propagateurs veritablement pieux et éclairés, quelle opinion en doit on avoir?

Ep. a M. Croza. vid. Epp. Leibn. T. I. Ep. CCXIII. 3.

XXXIV.

Souvent les expreſſions outrées et pour ainſi dire Poetiques ont plus de force pour toucher et pour perſuader, que ce qui ſe dit avec regularité.

Diſcours de la Conformité de la Foi avec la Raiſon §. 9.

XXXV.

Ad male conſulta etiam, quadam boni, ſeu perfectionis, ſpecie percepta, mouemur.

Praef. ad Mantiſſam Codicis Iuris gentium Diplomatici.

XXXVI.

On ſe trouve porté à croire que ce qui eſt le meilleur dans le tout, eſt le meilleur auſſi, qui ſoit poſſible dans chaque partie.

Theod. §. 212.

XXXVII.

XXXVII.

Un, *diligas oportet*, ne vaut rien.

Theod. §. *217.*

XXXVIII.

Inferior quidam Iuris naturalis gradus eſt, qui etiam apud Atheum valere poteſt.

Vid. Epiſt. Leibn. T. II. Ep. XVI. ad S. W. Molanum.

XXXIX.

La Verité toute nüe, emporte l' avantage ſur tous les ornemens de l' éloquence et de l' érudition, pourvu qu' on la developpe comme il faut.

Preface de la Theod. p. 27.

X L.

Tout ce qu' on dit contre la Raiſon, ne porte coup que contre une pretendüe Raiſon, corrompüe et abuſée par de fauſſes apparences.

Diſcours de la Conformité de la Foi avec la Raiſon §. *4.*

XLI.

Il faut juger des Ouvrages de Dieu auſſi ſagement, que Socrate jugea de ceux d'Heraclite en diſant: ce que j' en ai entendu me plait, & je crois, que le reſte ne me plairoit pas moins ſi je l' entendois.

Theod. §. *146.*

XLII.

Un ſage legislateur ayant menacé, et ayant pour ainſi dire, promis un chatiment, il eſt de ſa conſtance de ne pas laiſſer l' action entierement inpunie, quand même la peine ne ſerviroit plus a corriger perſonne.

Theod. §. *73.*

XLIII.

Le moindre corpuſcule eſt actuellement ſubdiviſé a l' infini, et contient un Monde de nouvelles creatures.

P. S. Ep. IV. ad Clarkium.

XLIV.

Errant, qui nihil in anima fieri putant, cuius ipſa non ſit conſcia.

Ep. ad

Ep. ad Chriſt. Goldbach. n. 4. vid. Ep. Leibn. T. I. Ep. CLIV.

XLV.

On ne peut raiſonner parfaitement ſur des idées, qu' en connoiſſant leur poſſibilité; a quoi les Geometres ont pris garde, mais pas aſſez les Carteſiens.

Memoires pour l' hiſtoire des ſciences et des beaux arts Sept. Art. XXIII. p. 276.

XLVI.

Il n' y a point deux Individus indiſcernable.

Ep. IV. ad Clarkium §. 4.

XLVII.

J' ai trouvé qu' ordinairement dans les combats entre des gens d' un merite inſigne, la Raiſon eſt de part et d' autre, mais en differens points, et qu' elle eſt plûtôt pour les défenſes, que pour les attaques.

Preface de la Theod. p. 40.

XLVIII.

XLVIII.

Cum Gentes nulla ſuperiori in terris poteſtate contineantur, ſunt illis pro legibus, quae ipſi ſibi dixere vel ſcriptis tabulis, vel moribus introductis.

Praef. ad Mantiſſam Codicis Iuris Gentium Diplomatici.

XLIX.

On a quelque droit de prendre des meſures pour empécher la propagation d' une erreur pernicieuſe, mais auſſi c' eſt tout ce qu' on a droit de faire, et ces meſures doivent étre les plus douces qu' il eſt poſſible.

Lettre a M. le Croza. vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CCXIII. 7.

L.

De dire que Dieu faſſe avancer tout l' Univers en ligne droite ou autre, ſans y rien changer autrement, c' eſt une Suppoſition Chimerique.

Epiſt. IV. ad Clarkium §. 13.

LI. Je

LI.

Je tiens, que toute Subſtance créée eſt accompagnée de Matiere.

Ep. III. ad Clarkium §. 9.

LII.

Tantum abeſt, vt qui non ſpe, aut metu a ſuperiore, ſed propenſione animi recte agit, iuſte non agat, vt ipſe potiſſimum iuſte agat, quadam diuinae iuſtitiae humana imitatione.

Epiſt. Leibnit. T. II. Ep. XVI. ad G. W. Molanum.

LIII.

Ce qu' on appelle *Fatum Stoicum* n'étoit pas ſi noir qu' on le fait: il ne détournoit pas les hommes du ſoin de leurs affaires; mais il tendoit à leur donner la Tranquillité à l' égard des évenemens, par la conſideration de la neceſſité, que rend nos ſoucis et nos chagrins inutiles.

Preface de la Theod. p. 14.

LIV.

Nihil facilius eſt quam mouere aut obiicere difficultates; artis eſt remouere.

Epiſt.

Epiſt. ad Io. Fabricium. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. LXXXI. 1.

LV.

Je ſuis d'opinion, que la volonté eſt toûjours plus inclinée au parti qu'elle prend, mais qu'elle n'eſt jamais dans la neceſſité de le prendre.

Theod. §. 43.

LVI.

Les grands principes *de la Raiſon ſuffiſante et de l'Identité des indiſcernables* changent l'état de la Metaphyſique, qui devient réelle et demonſtrative par leur moyen.

Ep. IV. ad Clarkium §. 5.

LVII.

Grotius bene notauit fore aliquam naturalem obligationem, etſi daretur, quod dari non poteſt, Deum nullum eſſe, aut licet diuina exiſtentia ſeponatur tantiſper.

Sententia de Libro de O. H. et C. vid. Epiſt. Leibnit. T. II. Ep. XVI.

LVIII.

Je tiens, quand Dieu fait des Miracles, que ce n' eſt pas pour ſoutenir les beſoins de la Nature, mais pour ceux de la Grace.

Ep. I. ad Clarkium §. 4.

LIX.

Multiplier uniquement la même choſe, quelque noble qu'elle puiſſe être, ce ſeroit une ſuperfluité, ce ſeroit une pauvreté.

Theod. §. 124.

LX.

Il n' y a rien de ſi beau, ni de ſi ſatisfaiſant, que d' avoirs une veritable connoiſſance du Syſteme de l' Univers, non ſeulement à l' égard des Corps, mais encor a l' égard des ſubſtances en general, et ſur tout à l' égard de la nature divine et de celle de nôtre ame et de même des ames en general.

Lettre à Mr. B. vid. Miſcellanea Leibnitiana VIII.

LXI.

LXI.

Il y a des cas, ou quelque desordre dans la partie eſt neceſſaire pour produire le plus grand ordre dans le tout.

Theod. §. 145.

LXII.

Ce n'eſt que le defaut d'attention qui diminüe nos biens, et il faut que cette attention nous ſoit donné par quelque melange de maux.

Theod. §. 13.

LXIII.

Je ne mets entre les perfections, que ce qui nous peut reſter apres cette vie, et la connoiſſance des faits eſt à peu prés comme celle de rüe des Londres, qui eſt bonne pendant, qu' on y demeure.

Lettre à M. B. vid. Miſcellanea Leibnit. VIII.

LXIV.

Qui non recte animatus eſt, ſaepe peccabit, ſaltem officii omiſſione.

Epiſt.

Epiſt. Leibnit. T. II. Ep. XVI. ad S. W. Molanum.

LXV.

Plus il y a de la Matiere, plus y a-t-il de l' occaſion à Dieu d' exercer ſa ſageſſe et ſa puiſſance; et c' eſt pour cela, entre autres raiſons, que je tiens qu' il n' y a point de vuide du tout.

Epiſt. II. ad Clarkium §. 2.

LXVI.

In plerisque vulgo amor literarum mercenarius eſt.

Ep. ad Seb. Kortholtum n. 1. vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CXCIX.

LXVII.

Je fais grande diſtinction entre les connoiſſances ſolides, qui augmentent le treſor du genre humain, et entre la notice des faits, qu' on appelle erudition vulgairement. Je ne mépriſe point cette erudition, au contraire j' en reconnois l' importance et l' utilité; mais je ſouhaiterois pourtant, qu' on s' attachât d' avantage au ſolide.

Lettre a M. B. vid. Miſcell. Leibnit. n. VIII.

LXVIII.

Pour appliquer la Morale et la Politique a l' uſage il faudroit une nouvelle eſpéce de *Logique*, toute differente de celle, qu' on a jusqu' icy.

loc. cit.

LXIX.

Nous pouvons dire avec verité, que nous ne faiſons que commencer, & que nous avons a peine trouvé dans ce ſiecle les premieres ouvertures pour la connoiſſance de la nature, & du Syſteme du grand & du petit monde.

Vid. Miſcell. Leibnit. n. LXIX. p. 126.

LXX.

Putem, maiorem ſenſuum ſubtilitatem magis nobis nocituram, quam profuturam eſſe.

Epiſtola ad Goldbachium. Vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CLIV.

LXXI.

LXXI.

L' operation des automates ſpirituelles c' eſt a dire des Ames n' eſt point *Mechanique*; mais elle contient eminement ce qu'il y a de beau dans la *Mechanique*.

Theod. §. 403.

LXXII.

Je poſe que toute perfection, que Dieu a pû mettre dans les choſes, ſans déroger aux autres perfections qui y ſont, y a été miſe.

Ep. IV. ad Clarkium P. S.

LXXIII.

Sentio omnem ſcientiam, quanto magis eſt *Speculatiua*, tanto magis eſſe *Practicam*, id eſt, tanto quemque ad praxin eſſe aptiorem, quanto rem, quae ipſi tractanda eſt, melius conſiderauit. Idem etiam de Juridicis ſentio.

Vid. Miſcell. Leibnit. p. 167.

LXXIV.

Hae ſunt tres regulae fundamentales reipublicae, nihil omittere neceſſarium, nihil

ferre damnoſum, nihil transmittere infructuoſum.

Vid. Miſcell. Leibnit. p. 199.

LXXV.

Il n' y a rien qui ſoit abſolument en nôtre pouvoir. Mais il n' y a rien, qui le ſoit plus que nos propres penſées. Et c' eſt pour cela même, que nous en devons rendre compte plus que de tout autre choſe.

Vid. Miſcell. Leibnit. p. 219.

LXXVI.

Le Deſtin Stoicien veut qu' on ſoit tranquille, parce qu' il faut avoir *patience par force*, puisqu'on ne ſauroit regimber contre la ſuite des choſes.

Ep. V. ad Clarkium §. 13.

LXXVII.

La *privation* ſuffit pour cauſer l' erreur et la malice.

Theod. §. 153.

LXXVIII.

Nous trouvons des choſes dans l' univers, qui ne nous plaiſent point; mais ſachons qu' il n'

il n' eſt pas fait pour nous ſeuls. Il eſt pourtant fait pour nous, ſi nous ſommes ſages: il nous accommodera, ſi nous nous en accommodons; nous y ſerons heureux, ſi nous le voulons être.

Theod. §. 194.

LXXIX.

Character eſt in Moralibus, quod *temperamentum* in Medicis, cauſa omnium actionum.

Vid. Miſcell. Leibnit. p. 189.

LXXX.

Phyſica noſtra, in quantum a Matheſi ſeiungitur, nihil aliud eſt, quam quaedam obſeruatio conſuetudinum naturae.

Vid. Miſcell. Leibnit. p. 163.

LXXXI.

Ego Digeſtorum opus, vel potius auctorum, unde excerpta ſunt, labores admiror, nec quicquam vidi, ſiue rationum acumen, ſive dicendi neruos, ſpectes, quod magis accedat ad Mathematicorum laudem.

Epiſt. ad H. E. Keſtnerum. Vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CXIX. 2.

LXXXII.

Valde infida Hiſtoria eſt, niſi Commentariis magnorum virorum, vel Actis publicis, ſuperſtruatur.

Praef. ad Codicem Iuris Gentium Diplomaticum.

LXXXIII.

C' eſt toûjours faute de Raiſon qu'on fait une mauvaiſe action.

Remarques ſur le Livre de l' origine du mal §. 27.

LXXXIV.

Vn deſir ardent de rechercher et de demeler la verité, ſera toûjours recompenſé par quelque ſuccès conſiderable.

Diſcours de la conformité de la Foi avec la Raiſon §. 80.

LXXXV.

Le genre humain, n'eſt qu'un fragment, qu' une petite portion de la Cité de Dieu, ou de la Republique des Eſprits.

Theod. §. 146.

LXXXVI.

LXXXVI.

Nihil aliud eſt Proceſſus Iudiciarius, quam quaedam Logicae artis accommodatio ad cauſſas, miſta cum cogendi poteſtate.

Epiſt. ad Keſtnerum. Vid. Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CXIX.

LXXXVII.

C' eſt une doctrine étrange que de dire qu'on peut vivre ſaintement ſans connoitre Dieu.

Epiſtol. Leibnit. T. I. Ep. CCXIII. 9.

LXXXVIII.

C' eſt une maxime aſſez decriée, que tout eſt fait uniquement pour l' homme.

Theod. §. 118.

LXXXIX.

Non recte dicitur (a Puffendorffio) ſuperiorem non agnoſcenti neminem neceſſitatem imponere poſſe.

Sentent. de libro de officio H. et C. Vid. T. II. Epp. Leibnit. Ep. XVI.

XC.

Je tiens que la volonté ſuit toûjours la plus avantageuſe repreſentation, diſtincte ou confuſe du bien et du mal, qui reſulte des raiſons, paſſions et inclinations.

Remarques ſur le livre de l' origine du mal. §. 13.

XCI.

La Philoſophie des Chrêtiens reconnoît mieux, que celle des Anciens la dépendance des choſes du premier Auteur, et ſon Concours avec toutes les actions des Creatures.

Preface de la Theod. p. 19.

XCII.

Generatio animalium non eſt niſi augmentatio et euolutio.

Epiſt. ad Seb. Kortholtum. Vid. Epiſtol. Leibnit. T. I. Ep. CXCIV. 2.

XCIII.

Si nous connoiſſions la cité de Dieu telle, qu' elle eſt, nous verrions que c' eſt le plus parfait état, qui puiſſe être inventé, que la vertu et le bonheur y regnent, autant qu'il ſe peut, ſuivant le loix de meilleur, que le peché et le

et le malheur n'y ſont presque rien en comparaiſon du bien, et ſerve même à de plus grands biens.

Theod. §. 123.

XCIV.

Il faut prendre garde de ne iamais abandonner des verités neceſſaires et éternelles pour ſoutenir les Myſteres; de peur que les ennemis de la Religion ne prennent droit la deſſus de décrier la Religion et les Myſteres.

Diſcours de la conformité de la Foi avec la Raiſon. §. 22.

XCV.

L' Harmonie ou Correſpondance entre l' Ame et Corps n'eſt pas un miracle perpetuel, mais l'effect ou ſuite d'un Miracle primigene fait dans la creation des choſes, comme ſont toutes les choſes naturelles.

Ep. V. ad Clarkium §. 89.

XCVI.

Nulla per ſe eſt temporis efficacia, quod vniforme eſt, niſi rebus in eo euenientibus varietur.

Epiſt. Leibnit. T. I. Ep. CCIX. 2. ad Seb. Kortholtum.

XCVII.

Nôtre lumiere eſt un rayon de celle de Dieu.

Remarques ſur le livre de l' Origine du mal. §. 6.

XCVIII.

Rien n'eſt abſolument indifferent à Dieu, qui connoit tous les degrés, tous les effets, tous les rapports des choſes, et qui pénetre tout d'un coup toutes leurs liaiſons poſſibles.

l. c. §. 23.

XCIX.

Nous ne formons pas nos idées parceque nous le voulons, elles ſe forment en nous, elles ſe forment par nous, non pas en conſequence de nôtre volonté, mais ſuivant nôtre nature et celle des choſes.

Theod. §. 403.

C.

Toutes les choſes, que nous deſirons par elles mêmes et ſans aucune vüe d' intereſt, ſont d'une nature a nous donner du plaiſir par leur excellentes qualités, de ſorte que la felicité de l' objet aimé entre dans la nôtre.

Lettre a M Bournet. Vid. Miſcell. Leibnit. T. I. n. XLIII. p. 93.

STATVS

STATVS CIVILIS

CVM

S P A T I O

COMPARATVS

Ad PVFENDORFF, Ius N. et G.

L. I. c. I. §. 6. 7.

PVFENDORFFIVS.

I. N. et G. L. I. c. I. §. 6.

QVemadmodum ſubſtantiae Phyſicae velut ſupponunt ſpatium, in quo ſuam, quam habent naturalem exiſtentiam ponunt, et motus ſuos Phyſicos exercent: ita ad harum Analogiam etiam perſonae potiſſimum morales dicuntur, et intelliguntur eſſe in Statu, *qui itidem iis velut ſupponitur aut ſubſternitur, vt in eo actiones atque effectus ſuos exſerat. Inde natura ſtatus non incongrue exprimi poteſt, quod ſit ens morale ſuppoſitiuum ob Analogiam quam habet cum ſpatio, quod itidem non videtur aliquod ens primarium, ſed eo deſtinatum, vt caeteris veluti ſubſternatur, eaque certo modo ſuſtineat, - - - quanquam in eo differat ſtatus a ſpatio, quod hoc ſit quoddam ſubſtantiae genus immobile et extenſum primo ac per ſe, quod etiam ſublatis rebus naturalibus exiſtere queat; ſtatus vero - - - modi et attributi duntaxat rationem obtineat, ita vt remotis perſonis, quae in ſtatu illo morali eſſe intelliguntur, ipſe quoque ſtatus exiſtentiam ſuam vix amplius tueri poſſe videatur. §. 7. Porro vti ſpatium duplex eſt, vnum ſecundum, quod res* vbi *eſſe dicuntur aut in loco v. g. hic, illic; alterum, ſecundum quod dicuntur eſſe* quando *aut in tempore v. g. hodie, cras; ad eundem modum duplicis eſſe generis ſtatum animaduertimus, vnum qui notat* vbi *morale, ſeu qui cum loco aliquam habet Analogiam, alterum qui notat reſpectum ad tempus, quatenus ex eo moralis aliquis effectus redundat in illos, qui in iſto tempore exiſtere dicuntur.*

STATVS

STATVS CIVILIS CVM SPATIO COMPARATVS.

ETſi notiones rerum imaginariae, quas non ſine multiplici damno ſero admodum a realibus Philoſophi diſtinxere, veritatis cognitionem haud raro impediant, eaedem tamen, vbi vel diſtinctae notiones haberi nequeunt, vel nondum iis formandis pares ſumus, vicem notionum realium ſuſtinent, tum in cognoſcendis rei ipſius praedicatis, tum in obſeruanda eius rei cum aliis ſimilitudine, tum in rebus per ſe inuicem illuſtrandis. Cuius prioris vſus exempla, vti Philoſophia haud pauca exhibet, ita poſterioris ſpecimen dedit, multis in rem literatam meritis illuſtris Puſendorffius in Iure N. et G. L. I. c. I. §. 6. quo loco ſtatus moralis, maxime ciuilis, comparatione cum ſpatio facta, notionem illuſtrare anniſus eſt. De quo Puſendorffii conſilio quid ſentiendum ſit, breui commentatione explanabimus.

CAPVT

CAPVT PRIMVM

THEORIAM STATVS CIVILIS EXHIBENS.

I.

VNusquisque ad ſe ipſum attendens intelligit, determinationes, quas quacunque ratione ad ſe pertinere iudicat, partim ſibi conſtanter ineſſe, partim ad tempus ſaltem ſecum exiſtere, partim denique ita ſibi ineſſe, vt etſi ſemper ſecum extiterint, mutari tamen potuiſſe, neque neceſſario adfuiſſe agnoſcat, cum contra alias nulla ratione abeſſe poſſe ſciat. Determinationes, quae homini conſtanter et neceſſario inſunt, *determinationes conſtantes* ſiue fixas; quae vero non neceſſario ſemper in homine deprehenduntur, has *mutabiles* appellamus.

II.

Quatenus in ente aliquo praeter determinationes conſtantes, ſimul exiſtunt mutabiles, *ens* dicitur *eſſe in ſtatu*. *Status* itaque *generaliſſime* definitur per coëxiſtentiam mutabilium cum iisdem fixis.

III. Quia

III.

Quia homo praeter determinationes conſtantes habet determinationes mutabiles (§. 1.) *homo eſt in ſtatu.*

Non opus eſt, vt aut qua ratione ſtatus vel in anima, vel in corpore, vel in vtroque ad exiſtentiam perducatur, aut poſſibilitas ſtatus a priori hic demonſtretur, ſufficit noſtro inſtituto a poſteriore conſtare, hominem eſſe in ſtatu.

IV.

Ex Ontologia conſtat, determinationes entis non mutabiles ſiue conſtantes, aut in eſſentialium, aut attributorum, numero eſſe. Nempe *eſſentialia* ſunt determinationes conſtantes in ente primo omnium loco concipiendae: *Attributa* vero ſunt ea, quae per eſſentialia determinantur.

V.

Determinationes entis conſtantes omnes, aut ſunt eſſentialia, aut attributa (§. 4.) quicquid igitur non eſt attributum aut eſſentiale, non poteſt eſſe determinatio conſtans, (quod

(quod ex doctrina de conuerſione propoſitionum conſtat) erit itaque determinatio mutabilis (§. 1.) adeoque ad ſtatum entis pertinet. (§. 2.)

VI.

Modi ſiue *accidentia* (quae *praedicabilia* vocant) entis appellantur, quae per eſſentialia non determinantur, ſiue quae enti nunc ineſſe, nunc abeſſe poſſunt. Patet autem ex Ontologia, praeter eſſentialia, attributa, et quae attributorum inſtar enti inſunt, non dari quicquam in ente niſi modos ſiue accidentia.

VII.

Determinationes entis omnes, quae non ſunt aut attributa, aut eſſentialia, ſunt mutabiles. (§. 5.) Modi enti praeter eſſentialia et attributa inſunt (§. 6.) ergo ſunt mutabiles. Quia vero porro enti praeter eſſentialia et attributa ſoli inſunt (§. 6.) *ſoli modi ſunt mutabiles.*

VIII.

Cum ſoli modi in ente ſint mutabiles, ſoli modi ſtatum entis ingredi poſſunt (§. 2.) quare *hominis ſtatus non niſi accidentibus ſiue modis conſtabit.*

Multum hoc theorema nos iuuat philoſophaturos de hominum ſtatu, cum eius ope non ſolum quid ad ſtatum hominis pertineat, facilius agnoſcatur, ſed et facilius diuerſi ſtatus poſſibiles ad certas ſpecies reducantur.

IX.

Modi ſunt accidentia (ſcilicet praedicamentalia, (Wolff. Ontol. 791.) Status hominum non niſi modis conſtat. (§. 8.) Ergo ſtatus hominis eſt accidens. Accidentia ſine ſubſtantiis exiſtere nequeunt (Wolff. Ontol. §. 791.) quare ſtatus hominis ſine ſubſtantia hominum exiſtere non poteſt, et conſequenter *ſtatus hominum ſine hominibus eſſe non poteſt.*

X. Quam-

X.

Quamuis ſtatus hominum ſine hominibus exiſtere nequeat (§. 9.) adeoque nonniſi in hominibus exiſtentibus reperiatur, ſtatum tamen ab hominum ipſorum notione differre, vel applicata confuſa, qua vulgo vtimur, diuerſitatis notione, patet. Vnde eſt, quod de ſtatu hominum tamquam de *ente per ſe exiſtente* philoſophari ſoleamus.

XI.

Determinationes mutabiles omnes, quae dato temporis momento homini inſunt, *ſtatum totalem* abſoluunt; quaelibet vero in totali ſtatu comprehenſa determinatio, *ſtatus partialis* nomine compellari poteſt.

Multum vtilitatis haec ſtatus diuiſio in theoria ſtatus praeſtare poteſt, cum per eam iudicia de ſtatu hominum magis fiant determinata.

XII.

Statuum vero partialium, qui vel ſimul, vel ſucceſſiue, vel in vno ſubiecto vel in pluribus locum habere poſſunt, tanta eſt varie-

tas, vt numerus eorum iniri vix poſſit. Habemus integras diſciplinas, in quibus ſtatus hominum conditioni non repugnantes enarrantur. In Pſychologia ſtatus *animae*, in Phyſica, *corporis*, in Philoſophia morali, tum circa *easdem hominis partes*, tum ratione *exiſtentiae cum aliis* obſeruandi ſtatus enarrantur. Vt de iis, quae in Theologia de *ſtatu* hominum exponuntur, taceamus.

XIII.

Vel ſola experientia conſtat in vnoquoque hominis ſtatu, eidem certas actiones non repugnare, ſed ex eius potius ſtatu concipi poſſe, cur ab homine ſuſcipi queant. Quare *omnis ſtatus rationem continet, cur certae ab hominibus actiones ſuſcipi poſſint.*

Nemo non intelligit actiones eruditi, militis, mercatoris etc. eſſe diuerſiſſimas, neque negotia eruditi a milite, nec mercatoris ab erudito aut milite, confici poſſe. Caeterum de ratione huius rei a priori reddenda in philoſophia morali parum ſolliciti ſumus, cum ſufficiat id experientia ſatis comprobari.

XIV.

XIV.

Porro ad hominum actiones attendentibus patet, ex pluribus actionibus ſtatui hominum non repugnantibus (§. 13.) quasdam conſenſum futuri ſtatus cum antecedente inferre, eoque perfectionem hominis promouere, alias vero diſſenſum, et conſequenter imperfectionem hominis promouere. Per legem autem naturalem homo obligatus eſt ad actiones ſuſcipiendas, quae perfectionem ſuam promouent, et omittendas, quae ad imperfectionem ſuam tendunt. Status itaque quilibet cum lege naturali comparatus continet rationem actionum ſequentium. Actiones vero cum ſint determinationes mutabiles (quod per ſe patet) ad ſtatum hominis pertinent. (§. 3.) *Status itaque quilibet antecedens continet rationem futuri ſtatus, quatenus hic actionibus hominis continetur.*

XV.

Praeterea vnusquisque ſtatus vel per regulas Phyſicas in corpore, vel per Pſychologicas in anima, vel per regulas morales

quoad totum hominem, eſt cauſa aliarum mutationum, quae, admiſſo iſto ſtatu, in noſtra poteſtate minime ſunt poſitae, quamuis ſubinde, ne ſtatus iſte, qui rationem illarum mutationum continet, ad exiſtentiam perueniret, ante forte potuiſſet caueri. Adeoque et hac ratione praeſens ſtatus hominis continet rationem ſequentis.

XVI.

Statum hominis Phyſicum appellamus determinationes mutabiles, quatenus homini inſunt: *Statum* vero *moralem* determinationes mutabiles, quatenus ſequentium rationem in ſe continent, abſoluunt.

Patet hoc ipſo omnem ſtatum, alio reſpectu Phyſicum, alio vero moralem eſſe, cum huius diuiſionis fundamentum non in diuerſitate ſubiectorum, ſed in certo eiusdem ſubiecti *formali* contineatur. Elegimus vero ex diuerſis huius diuiſionis acceptionibus, hanc potiſſimum, qua moralitas rebus tribuitur, quatenus vel bonae vel malae dicuntur. Bonitas autem et prauitas rei

in

in Philoſophia ex eo aeſtimatur, quod rationem perfectionis, vel imperfectionis, quae in ſequenti hominum ſtatu locum habet, contineat. Quare et *ſtatui* commodiſſime, ob influxum eius in ſequentes ſtatus, moralitas tribuitur.

XVII.

Referri dicitur A ad B, ſi in A deprehendatur aliqua determinatio, quae eidem conuenire concipi non poteſt, niſi ſimul cogitetur B. Hinc *Relationes hominis ad alios homines* definiri poſſunt per determinationes hominis, quae eidem non conueniunt, niſi ſimul ponatur aut concipiatur exiſtentia alterius hominis, vel etiam plurium.

In relationum numero eſt *vicinum, ſuperiorem, parentem* eſſe, quippe quae determinationes omnes exiſtentiam aliorum hominum requirunt.

XVIII.

Relationes hominis quaecunque ad alios ſunt modi. Relationes enim hominis ad alios ſupponunt aliorum hominum exiſten-

tiam. (§. 17.) Exiſtentia vero hominum eſt contingens, vt in Theologia naturali demonſtratur. Quae itaque in contingenti illorum exiſtentia rationem habent ſingulorum ad alias relationes (§. 17.) itidem debent eſſe contingentes. Quia vero ſunt contingentes, homini non neceſſario inſunt, adeoque ſunt determinationes mutabiles, (§. 1.) conſequenter ſunt modi. (§. 7.)

XIX.

Cum relationes hominum ad alios ſint modi (§. 18.) *ad ſtatum hominis pertinent.* (§. 2.)

XX.

Eadem ſunt, quae ſibi ſubſtitui poſſunt, ſaluo quocunque reſpectu. *Diuerſa* ſunt, quae ſibi ſaluo quocunque reſpectu ſubſtitui nequeunt. *Similia* dicuntur, quae eadem ſunt quoad qualitates.

XXI.

Qui ad ea, quae in humano genere diſtingui poſſunt, obſeruanda, paulo eſt attentior, non ignorabit, quod homines, quatenus cum aliis

aliis ſimul exiſtunt, ita erga ſe inuicem habeant, vt ſinguli reliquis mutationes, hinc Phyſicas, hinc alias inducere poſſint. Quo ipſo ſtatim aliqua ſimilitudo in hominibus ſimul exiſtentibus obuia elucet, qua ſcilicet vnusquisque et in reliquos *agere*, et ab reliquis *pati* poteſt. Quamuis caeteroquin illa ipſa patiendi, agendiue potentia, ſi accuratiſſime in eam inquiras, in ſingulis ſit diuerſa, quod vel ex actionibus hominum intelligi poteſt, vtpote quae in quolibet a reliquorum omnium actionibus, ſunt diuerſae.

XXII.

Praeterquam quod homines ſecum coëxiſtunt, attentione haud minori dignum eſt, quod homines ſibi inuicem ſuccedant in exiſtentia, ita vt non, niſi antequam certus hominum, quos *maiores* vocant, numerus extiterit, exiſtant. Vnde apparet hominum exiſtentiam ſucceſſiuam ſimili ratione determinari. Et praeterea in hominum ſtatu ſemper aliquid obſeruabimus, quod ex antecedenti hominum, qui extiterunt, ſtatu intelligi poſſit. Quia hoc in ſingulis homi-

 num

num obſeruare licet, apparet, *ſucceſſionem hominum ſimili ratione determinari.*

XXIII.

Homines dicuntur *eſſe in ſtatu ciuili,* quatenus ſinguli ſibi inuicem mutationes inferre, et conſequenter etiam a reliquis recipere poſſunt, et praeterea, quas habent in praeſenti ſtatu determinationes, eae ex ſerie hominum antecedenti explicari poſſunt.

XXIV.

Modus coëxiſtendi in rebus eſt id, per quod exiſtentiae rerum diuerſarum a ſe inuicem diſtingui poſſunt.

XXV.

Modus ſibi inuicem ſuccedendi eſt id, quo rerum diuerſarum ſucceſſiones a ſe inuicem diſtingui poſſunt.

XXVI.

Exiſtentia hominis cum aliis hominibus, et poſt alios, modusque illis coëxiſtendi vel ſuccedendi, pertinent ad eiusdem ſtatum. Quod enim homo cum aliis, aut poſt alios, et quo-

ad

ad vtrumque certo modo exiſtat, concipi non poteſt, niſi ponatur aliorum hominum exiſtentia, (quod per ſe patet.) Quia vero exiſtentia hominis cum aliis, aut poſt alios homines, modusque coëxiſtendi, aliorum hominum exiſtentiam ſupponit, in relationum eſt numero, (§. 17.) et conſequenter ad hominum ſtatum pertinet. (§. 19.)

XXVII.

Cum id, quod in homine aliorum hominum exiſtentiam ſupponit, ad ſtatum pertineat, (§. 26.) mutationes vero ab altero recipere, aliisque inducere, et ab antecedente hominum ſerie pendere, aliorum exiſtentiam ſupponat (quod ex terminis notum) *ſtatus ciuilis, quin recte ſtatus dicatur, dubitari nequit* (§. 23. 26.)

XXVIII.

Propterea, quod homines ſunt in ſtatu ciuili, ſimilitudo adeſt in modo, quo homines vel ſimul exiſtunt, vel ſibi inuicem ſuccedunt. Quatenus enim homines ſunt in ſtatu ciuili, homines ſimul coëxiſtentes ſinguli ſibi mutationes

tiones inducere, et a ſe inuicem recipere poſſunt. Et praeterea eorum determinationes ex ſtatu hominum ante exiſtentium explicari poſſunt. (§. 23.) Sed per id, quod dicta ratione coëxiſtant vel ſuccedant, coëxiſtentia et ſucceſſiva hominum exiſtentia diſtingui poteſt a coëxiſtentia, et ſucceſſiua exiſtentia, poſſibili hominum, in quibus ſtatus ciuilis locum non habet. Quare ſtatus ciuilis pertinet ad modum coëxiſtendi et ſibi ſuccedendi in hominibus obuium, et eundem conſtituit (§. 25.) Quia vero ſtatus ciuilis ad omnes homines ſpectat (§. 21. 22.) modus, quo hic uel ille homo aliis aut coëxiſtit, aut ſuccedit, modo, quo reliqui homines ſibi inuicem coëxiſtunt, vel ſuccedunt, ſubſtitui poteſt, adeoque huic erit ſimilis (§. 20.) Cuius ſimilitudinis ratio cum ſit in ſtatu ciuili locum inter homines habente, (per demonſtrata) ob ſtatum ciuilem datur ſimilitudo in modo, quo homines ſibi vel coëxiſtunt, vel ſibi ſuccedunt.

XXIX.

Quia ſtatus ciuilis ſimilitudinem in modo coëxiſtendi et ſucceſſiue exiſtendi, eorum,

qui

qui ſunt in ſtatu ciuili, infert (§ 28.) STATVS CIVILIS abſtracte conſideratus definiri poteſt per ſimilitudinem in modo, quo homines ſibi coëxiſtunt, et ſuccedunt, obuiam, qua illi quoad mutationes, tum a ſerie hominum ſimul, tum etiam ſucceſſive exiſtentium, dependent. *Dependent* nempe a ſe inuicem, quorum vnum rationem determinationum ſuarum in altero habet.

XXX.

Ordo eſt ſimilitudo obuia in modo, quo res ſibi coexiſtunt, vel ſibi inuicem ſuccedunt. Cum *ſtatus* ciuilis ſit ſimilitudo in modo coexiſtendi et ſuccedendi hominum, quo ſinguli quoad determinationes mutabiles a ſimul exiſtentibus, et ante exiſtentibus pendet. (§. 29.) STATVS CIVILIS eſt *ordo in ſimultaneitate et ſucceſſione hominum obuius, quo ſinguli, quoad determinationes mutabiles, ab hominibus ſimul et ante exiſtentibus pendent.*

XXXI.

Etiamſi ſtatus, utpote accidens (§. 6.) non niſi in ſuo ſubiecto, nempe in homini-

bus

bus exiſtere poſſit, entis tamen peculiaris inſtar concipitur (§. 10.) quare ſtatum quoque ciuilem, tanquam ens aliquod peculiare, et ab hominibus ſeiunctum, concipimus.

XXXII.

Cum Status ciuilis ſit ordo in hominum ſucceſſiua vel ſimultanea exiſtentia, quo vniuscuiusque determinationes mutabiles ab ſerie rerum ſimultanearum et ſucceſſiuarum, in qua continetur, pendent (§. 30.) Status hic ſupponit homines plures hac ratione ſibi vel coexiſtere vel ſuccedere poſſe. Imo quamprimum concipimus homines ita vel ſimul vel ſucceſſiue exiſtere, vt vnus contineat rationem rerum, quae ſunt in altero, eos in ſtatu ciuili poſitos eſſe concipiamus neceſſe eſt. Quare *ſtatus ciuilis reſultat ex poſſibilitate, qua hominibus non repugnat ita ſibi coexiſtere, vel ſuccedere, vt ſibi inuicem ſint mutationum ſuarum cauſae.*

XXXIII.

Quilibet hominis ſtatus rationem aliorum ſequentium ſtatuum continet, eatenusque moralis audit (§. 16.) quare *ſtatus* quoque *ciuilis*

ciuilis rationem aliorum ſtatuum continebit, eoque ipſo moralis erit (§. 27.)

XXXIV.

Quia porro ſtatus quicunque continet rationem, cur hae vel illae actiones ab homine ſuſcipi poſſint, vel debeant (§. 13.) *ſtatus* quoque *ciuilis continet rationem, cur certae actiones ab homine ſuſcipi poſſint, vel debeant.*

CAPVT SECVNDVM

QVO STATVS CIVILIS CVM SPATIO ET TEMPORE COMPARATVR.

XXXV.

STatum ciuilem cum ſpatio atque tempore comparaturi, poſteaquam ſtatus ciuilis Theoriam noſtro inſtituto aptam tradidimus, de altera rerum comparandarum iam agendum erit, de notione ſcilicet *ſpatii* atque *temporis.* Dicimus autem in praeſenti *ſpatium,* ordinem ſimultaneorum, quatenus coexiſtunt, *tempus* nobis eſt ordo ſucceſſiuorum, quatenus ſibi inuicem ſuccedunt. Alia

vero

vero ratione has notiones Puffendorffius inſtruit, dum vtramque vno vocabulo denotat; ita vt ex ſtilo huius Philoſophi *res in ſpatio* exiſtant, partim quatenus in ſerie rerum ſimultanearum, partim quatenus in ſerie rerum ſucceſſiuarum continentur.

Non noſtrum in praeſenti eſt, quantum hae ſpatii, temporisque notiones a vulgaribus earundem rerum notionibus differant, vel iis praeſtent, altius indagare, maxime, cum illud argumentum iam exhauſerit Cel. Wolffius, in Ontologia Latina integro capite de his notionibus exponens. Datas tamen definitiones non niſi diſtinctas vulgarium, earumque confuſarum, notionum explicationes eſſe ideo monemus, ne forte facilius explicandae illarum cum ſpatio comparationis cauſa confictae credantur.

XXXVI.

Hae noſtrae temporis, ſpatiique, notiones ad quaecunque entia finita, eaque diuerſimode

mode conſiderata applicari poſſunt, quatenus nempe ea vel ſimul exiſtunt, vel ſibi inuicem ſuccedunt. Differt itaque hoc ſpatium et tempus ita definitum ab eo, in quo res corporeae praeteritae, exiſtentes, et exſtiturae, hinc ſibi coexſtitiſſe, hinc ſeſe in exiſtentia conſecutae eſſe dicuntur. In hoc enim, ſimultanea, et ſucceſſiua, vlterius iam ſunt determinata, quae in illa abſtractiori notione indeterminata relinquuntur. Cum per regulam Logicam, diſtincta ab intellectu diſtincte repraeſentanda ſint imaginationi per terminos, prius *ſpatium tempusque Metaphyſicum* vel *tranſcendentale*, hoc poſterius vero *phyſicum* appellabimus.

XXXVII.

Si ſimultanea et ſucceſſiua, quae in notione ſpatii temporisque Phyſici iam determinata ſunt, alia ratione determinentur, reliquis manentibus iisdem, diuerſa oritur notio, quae illi ex parte ſimilis, ex parte vero eſt diſſimilis. Tunc vero notio ſpatii et temporis Metaphyſica erit ſimilitudo indiui-

duorum, aut ſi mauis ſpecierum, et conſequenter, notio generica, cuius ſpecies vna eſt notio ſpatii et temporis Phyſica, et cuius aliae adhuc ſpecies concipi poſſunt, ſi ſimultanea aut ſucceſſiua alia ratione determinentur.

XXXVIII.

Status ciuilis eſt ſpecies ſpatii tranſcendentalis. Status enim ciuilis eſt ordo hominum ſimul exiſtentium, quatenus ſibi inuicem mutationes inducere poſſunt (§. 30.) Ex qua notione, ſi omittas determinationem, quod ſimultanea iſta ſint *homines*, et eam, qua modus coexiſtendi determinatus eſt, relinquitur notio ordinis obuii in ſimul exiſtentibus, h. e. notio ſpatii tranſcendentalis. (§. 35.) Haec vero eſt notio generis. (§. 37.) Quare cum ad hanc aliae determinationes adiectae ſint in notione ſtatus ciuilis, ſtatus ciuilis eſt ſpecies ſpatii tranſcendentalis. (§. cit.)

XXXIX.

Status ciuilis eſt ſpecies temporis tranſcendentalis. Quia enim ſtatus eſt ordo ſucceſſiue

exiſtentium hominum, quo ſubſequentium ſtatus pendent a prioribus, (§. 30.) adeoque praeter notionem temporis Metaphyſicam alias notiones complectitur, (§. 35.) eſt ſpecies temporis tranſcendentalis.

X L.

In notione ſtatus ciuilis duo determinata ſunt, quae in notione ſpatii atque temporis tranſcendentalis indeterminata relinquuntur. Nam partim coexiſtentia et ſucceſſiua determinantur per notionem *hominum*, partim modus coexiſtendi et ſucceſſiue exiſtendi determinatus eſt. (§. 28.)

In hac diuerſimoda determinatione latet ratio, cur ſimilitudinem, quae notiones ſpatii, temporis, ſtatusque ciuilis intercedit, non facile obſeruemus. Monent enim Philoſophi, rerum notiones, vel obſcuras vel nullas formari poſſe, ſi ſub aliis veluti ſepultae iaceant, cuius rei exemplum hic haberi patet, cum notio coexiſtentium et ſucceſſiuorum, nec non coexiſtentiae, et ſucceſſionis,

in notione *ſpatii* et *temporis* expreſſis verbis propoſita, in notione *ſtatus ciuilis*, ſub hominum, nec non poſſibilitatis ſibi mutationes inducendi verbis lateat.

XLI.

Quia per regulas Logicas, *quae generi conueniunt, omni porro ſpeciei neceſſario conueniunt*, ſtatus uero ciuilis ſit ſpecies ſpatii, et ordinis, tranſcendentalis. (§. 37. 38) vt *ſtatui ciuili praedicata ex notione ſpatii et temporis fluentia conueniant neceſſe eſt.*

XLII.

Porro conſtat, quod ſpeciebus ſub vno genere comprehenſis eadem conueniant praedicata, quatenus ſub eodem genere comprehenduntur. Status ciuilis, vt ſpecies perinde, vt ſpatium tempusque Phyſicum, ſub notione generis ſpatii et temporis tranſcendentalis comprehenduntur (§. 37. ſeq.) Quare *ſtatus ciuilis, nec non ſpatium et tempus phyſicum eadem habeant praedicata, neceſſe eſt.*

XLIII.

XLIII.

Analogiam habere dicuntur, quae ſibi quoad nonnulla praedicata ſubſtitui poſſunt, adeoque quorum nonnulla praedicata ſunt eadem (§. 20.) Cum ſtatus ciuilis eadem habeat cum ſpatio, temporeque tum Metaphyſico, tum etiam Phyſico, praedicata (§. 41. 42.) patet *ſtatum ciuilem Analogiam cum ſpatio et tempore habere.*

XLIV.

Sigillatim, quemadmodum tempus reſultat ex poſſibilitate rerum ſibi inuicem ſuccedendi (Wolff. Ontol. §. 576.) ſpatium vero ex poſſibilitate coexiſtendi (Wolff. Ont. §. 591.) ita ſtatus ciuilis reſultat ex poſſibilitate, qua hominibus ſibi ita coexiſtere, vel ſuccedere, non repugnat, vt vnius determinationes habeant rationem ſuam in altero (§. 32.) Habes exemplum Analogiae ſtatus ciuilis cum ſpatio et tempore Metaphyſico.

XLV.

Porro, eadem demonſtratione, qua Celeb. Wolffius ſpatium, itemque tempus eſſe acci-

dens oſtendit (Ontol. §. 787. 788.) intelligitur *ſtatum ciuilem eſſe accidens.*

XLVI.

Tacemus breuitatis cauſa ea praedicata, quae ſtatui ciuili, aeque atque ſpatio phyſico, temporique phyſico, conueniunt, quatenus in his notionibus omnibus, eiusmodi ſimultanea et ſucceſſiua commemorantur, quae vel ſunt elementa, vel aggregata elementorum, vel alia entia ſimplicia vi ſtatum ſuum continuo mutandi inſtructa. Quemadmodum nempe elementa naturae vel ex iis orta corpora, ob poſſibilitatem coexiſtendi, hoc eſt, vi ſpatii phyſici, mutationes ſibi inducere poſſunt, ita homines ob ſtatum ciuilem, in quo ſunt poſiti, ſibi inuicem mutationes inducere poſſunt. Vt alia nunc taceamus.

CAPVT

Caput Tertium.

QVO DE COMPARATIONE SPATII ET STATVS CIVILIS PVFENDORFFIANA JVDICIVM FERTVR.

XLVII.

Ill. Pufendorffium, ſtatum ciuilem cum ſpatio comparantem, vocabulo ſpatii vna notionem temporis complexum fuiſſe, iam obſeruauimus (§. 35.) ea de re moniti per §. 7. C. 1. L. 1. I. N. et G. Spatii notione imaginaria vſum cum eſſe ex eo apparet, quod ſpatium rebus ſublatis ſupereſſe doceat. (§. 6. Cap. cit.) Per ſtatum autem, *ciuilem*, ſiue ſocialem, potiſſimum intellexiſſe, ex tota eius tractatione manifeſtum eſt.

XLVIII.

Spatii temporisque notionem ſtatus moralis notione abſtractiorem eſſe, ex eo patet, quod illa ad hanc, vt genus ad ſpeciem, ſeſe habeat. (§. 38. 39.) Rerum vero abſtractarum notiones in alio excitaturi, eas ad res

ſenſui propiores, vtpote vulgo notiores, reuocare ſolemus, vt alter in rebus magis concretis perſpiciat, quod abſtractum ab iis rebus, quibus ineſt, percipere non poteſt. Notionem autem abſtractam per abſtractiorem explicare velle, nihil aliud eſt quam obſcurum per magis obſcurum illuſtrare. Quare quamuis ſtatus ciuilis, ſpatiumque ac tempus Analogiam habeant (§. 42.) vt ſtatus tamen ciuilis notionem ex notione ſpatii aut temporis illuſtremus conſultum non eſt.

XLIX.

Neque tamen Pufendorffius comparationem inter ſtatum ciuilem, et ſpatii temporisque notionem, inſtituendo, in praeceptum hocce ita impegit, vt non facilem apud aequos iudices veniam impetraturus videatur, ſiquidem notione ſpatii, non diſtincta, eaque intellectu difficiliori, ſed imaginaria, quam quiuis facile in ſe excitare poteſt, quaque ſpatium concipitur, tanquam ens aliquod a rebus, quae in ſpatio ſunt, diſtinctum, et a corporibus penetrabile, vſus eſt. Siue

Siue enim lector principiis Ontologicis imbutus ad hunc locum Pufendorffianum accedat, is non poteſt non per Analyſin notionum, qua gaudet, ſimilitudinem ſpatii ſtatusque ciuilis animaduertere: Sin vero lector definitionum Ontologicarum ignarus in hoc Autoris effatum incidat, hic ipſe quoque in vulgaribus ac tritis horum vocabulorum notionibus aliquam ſimilitudinem obſeruabit.

L.

Fieri autem non poteſt, vt multas ſpatii temporisque ac ſtatus ciuilis ſimilitudines hac notione ſpatii adhibita obſeruemus, niſi forte et ſtatus ciuilis notione admodum imaginaria vtamur. Neque etiam Pufendorffius aliam ſimilitudinem obſeruauit, quam quod ſtatus ciuilis perinde atque ſpatium et tempus ſit ens, eo deſtinatum, vt in iis res exiſtant. Spatium nempe ſupponit poſſibilitatem coexiſtendi, tempus vero ſupponit poſſibilitatem ſuccedendi in rebus, (§ 43.) eſtque, veluti *in gratiam* rerum, vel coexiſtentium vel ſuccedentium. Sic ſtatus moralis cum concipi non poſſit, niſi vel exiſtant ho-

mines, vel exiſtere aut ſimul aut ſucceſſiue (§. 32.) concipiantur, veluti in gratiam hominum eſſe videtur.

LI.

Multo prolixiorem in comparandis his notionibus nobis vſum praeſtant diſtinctae ſpatii, temporis ſtatusque ciuilis notiones, cum, ope magni illius principii: *quodcunque competit generi, competit ſpeciei:* amplificata ſpatii temporisque Theoria, ipſa Status ciuilis Theoria locupletetur. Quod ipſum efficit, vt praedicata ſtatui ciuili cum ſpatio temporeque communia ſigillatim recenſere opus non ſit. Poſteaquam enim harum rerum notiones, vt ſpecies ad genus, vel etiam vt diuerſas eiusdem generis ſpecies, ad ſe inuicem ſeſe habere manifeſtum eſt, facile eſt praedicata vnius ad alteram transferre. Vel ex hoc caeteroquin liquet, notiones morales non ita ab Ontologicis eſſe ſeiunctas, quin iſtis formandis operam nauantes, perinde vt diſciplinarum, quae abſtractiores habentur, cultores, has et diſtinctas et familiares habere debeant.

ELEMEN-

ELEMENTA THEORIAE
POSSESSIONIS
ATQVE
DOMINII.

ELEMENTA THEORIAE

POSSESSIONIS

ATQVE

DOMINII.

I.

QVemadmodum radices aeque graciles tam diuerſam ſaepe vim habent, vt ex aliis depreſſum olus, ex aliis procerum robur, enaſcatur, ita notiones Philoſophicae, ex parte paucarum ſaltem conclusionum, ex parte multarum Theoriarum, ſemina continent. Quam foecunditatem, dum, comparatione facta, in notionibus conſpicimus, aliamque alia, hac dote, ſuperari intelligimus, in illarum, quae vbertate non minus, quam vtilitate, ſe nobis commendant, contemplationem toti rapimur. Quantoscunque vero ex cognitione rerum reportare cupias fructus, hos, in POSSESSIONIS et DOMINII notionibus, copioſos deprehendes. In *his* enim quam maxime illam

illam virtutem ſpectare licet, quam definitionum lux in ampliſſimas, diuerſiſſimasque, doctrinas ſeſe diffundit: in *his*, quocunque te vertas, nihil vmbratile, nihil otioſum, deprehendis: *his* denique te notionibus, in officiis hominum, gentiumque, recte conſtituendis, ſapienter dirigi, et, filo quaſi Ariadnaeo, per tantarum rerum ambages, duci experieris. Vti vero in ſcopuloſo mari nauigantibus nec pixis nautica, nec lucida ſidera, proſunt, niſi nauta illam ad vſum transferre, haec vero ſeruare, didicerit, ita fertiliſſimae notiones, niſi rite inſtituantur, prudenterque coniungantur, ſteriliſſimas ſeſe nobis praebent: id quod permultis, qui ex commemoratis, *dominii* et *poſſeſſionis* notionibus, argumenta ducere conati ſunt, accidiſſe videtur. Cum igitur certam rationem inueniſſe mihi videar, qua iſtae notiones et ad diſſerendi, et ad vitae, vſum transferri poſſint, illam cum huiusmodi rerum ſtudioſis communicandam putaui, non quidem, vt doctioribus monſtratorem me praeberem, ſed vt mea de hoc argumento ſententia

cognita,

cognita, Lectores in ea vel probanda, humanitatis, vel reprehendenda, libertatis experimentum caperent.

II.

Notiones, quae in Theoria dominii et poſſeſſionis, partim explicandae et definiendae, partim ordine naturali tradendae ſunt, potiſſimum has reperio: Rem vacuam, Poſſeſſionem naturalem, Poſſeſſionem ciuilem, Occupationem, Traditionem, Vſurpationem, atque Dominium. Ex quibus omnibus duae potiſſimum notiones, *occupationis* nempe et *poſſeſſionis naturalis*, de eo contendere videntur, vtra caput totius tractationis conſtituenda ſit, et vtra alteram, tanquam partem, complectatur. Ita enim affines, ſibique ſimiles, ſunt hae notiones, vt ex iis, quae hucusque traditae ſunt, deſcriptionibus, diuerſam earum indolem haud ſatis cognoſcas. Si enim *Puſendorffium* conſulas, *Occupationem* nihil aliud, quam *apprehenſionem rei corporalem*, eſſe, (I. N. et G. L. IV. c. VI. §. 2.) *Poſſeſſionem* vero per *τὸ inſiſtere rei*

ſemel

ſemel apprehenſae, explicari, caeteroquin hanc quoque per *apprehenſionem rei corporalem fieri*, (L. IV. c. IX. §. 7.) audies. Vt igitur diſcrimen has notiones intercedens indagemus, attentio noſtra, ſecundum Logicorum praecepta, in exempla poſſeſſionis et occupationis intendenda eſt. Fingas igitur, *Caium* nummum in via publica iacentem humo tollere, poſtea vero manu incluſum geſtare. Nonne Caius nummum tollendo *occupare*, manu vero incluſum geſtando *poſſidere*, dicetur? Et quid intereſt, quod ipſi nunc occupationem, nunc poſſeſſionem, tribuamus? Nempe dum Caius nummum humo tollit, *primum* eum apprehendit, ſiue apprehendere *incipit*; dum vero manu geſtat, *adhuc* apprehendit, ſiue apprehendere *pergit*. *Occupatio* igitur eſt prima apprehenſio, ſiue apprehenſionis initium: *Poſſeſſio* vero eſt apprehenſio continuata. Notari autem velim, *occupationem* hic ſenſu vulgari ſumi, quo pariter in *res nullius* atque *in eas, quae in dominio ſunt*, dummodo *vacuae* ſint, cadit; etſi alias, ab ICtis, ad res nullius

nullius reſtringatur, et ſic, ſatis commode, pro modo acquirendi venditetur.

III.

Apprehenſionis vocabulo, in eruenda poſſeſſionis atque occupationis notione, tantiſper vſi ſumus, quod tamen ab vagum, quem coniunctum habet, ſignificatum, has definitiones ingredi nequit. *Apprehendere* enim, propria ſignificatione, ad manus pertinet; per Metaphoram vero, ad oculos, pedes, totum corpus, ad animum denique ipſum, transfertur. Sic *Pufendorffius* (*I. N. et G. L. IV. c. IX.* §. *7.*) fundum circumire, conclaue intrare, quorum neutrum manuum ope fit, tanquam *apprehenſionis* quasdam ſpecies, recenſet. Hac igitur voce, cum fixo ſignificatu deſtituatur, vt in definitionibus conſtruendis vtamur, Logicorum praecepta non permittunt. Cogitanti ergo mihi, quam vocem magis commodam in locum *apprehenſionis* ſurrogarem, opportune ſuccurrit terminus *Poſſeſſionis momentaneae*, quo ICtos pridem delectatos eſſe, ſcio, Philoſophos

vero vſos eſſe non memini. Huius enim vocis notione penitius inſpecta, hanc ad *genus* occupationis et poſſeſſionis naturalis conſtituendum, inprimis idoneam eſſe intellexi. Is ſcilicet POSSESSIONEM MOMENTANEAM rei habere dicitur, qui rem ſolus ita vſurpat, vt alium ſimul eandem vſurpare impoſſibile ſit. Definitiones igitur quaeſitas ſic inſtrui poſſe puto: OCCVPATIO eſt *poſſeſſio momentanea prima*: POSSESSIO NATVRALIS vero eſt *poſſeſſio momentanea continua*, *ſiue continuata*. Quas formulas et concinnitate ſua, et foecunditate, ſolerti veritatis inueſtigatori facile ſe commendaturas, ſpero. Ne vero quibusdam circulum in definiendo commiſiſſe videar, vocabulum *poſſeſſionis*, in definitione *poſſeſſionis*, adhibendo; teneas velim *poſſeſſionem naturalem* vnum eſſe terminum, ſed ex duabus vocibus compoſitum, perinde vt *poſſeſſionem momentaneam*. Etiamſi igitur alter terminus definitionem alterius ingrediatur, nihil tamen regulis Logicis aduerſum committitur.

IV. Eius-

IV.

Eiusdem termini ope, quo in explicanda occupatione et poſſeſſione naturali vſus ſum, rei vacuae quoque commoda definitio formatur. RES ſcilicet VACVA ea eſt, *quae nullum poſſeſſorem momentaneum habet.* Quippe res vacuae occupari poſſunt. Res vero, quae poſſeſſorem momentaneum habent, nouum poſſeſſorem non admittunt, niſi prior poſſeſſor, aut poſſeſſione ſe abdicauerit, aut poſſeſſione deturbatus fuerit. Ergo res vacua non poteſt eſſe alia, quam quae poſſeſſorem momentaneum non habet.

V.

Antequam ad definitionem *Traditionis* formandam accedamus, aliam notionem ante ſtabilire neceſſum putamus. EVACVATIONEM dicimus eam *poſſeſſoris naturalis actionem, qua poſſeſſione momentanea abſtinere incipit*, e. g. cum ex *conclaui*, quod poſſedimus, ſuppellectilem noſtram remouemus, illud euacuare dicimur. *Tradimus* itaque rem, cum ita eam euacuamus, vt ab altero

ſtatim occupetur. TRADITIO ergo eſt *occupatio euacuationi continua, occupante et euacuante volente facta.* Vnde patet, quod in traditione vltima poſſeſſio momentanea prioris, cum prima poſſeſſione momentanea noui, poſſeſſoris coniuncta ſit.

VI.

Cum vero vna res multis rationibus ab vno, pluribusue, *poſſideri* dicatur, cognitionis ſcientificae multum intereſt, vt certae huius vocis ſignificationes conſtituantur, quae ſingulae deinde ſuis terminis denotandae ſunt. Hoc enim, niſi confectum ſit, propoſitiones determinatas, h. e. certas et exceptionibus non obnoxias, nunquam formabimus. Praeter poſſeſſionem itaque momentaneam, et naturalem, iam explicatam, porro POSSESSIO CIVILIS notanda eſt, quam in *iure rem aliquam naturaliter poſſidendi,* ſitam putamus. Hanc poſſeſſionem non ſolum *domino rei* tribuimus, ſed etiam *vſuario*, et *vſufructuario*, imo etiam *conductori*, illique, qui *rem commodatam vtendam*

dam

dam accepit. Horum tamen omnium poſſeſſio ciuilis, ſi a domino receſſeris, ad certum tempus reſtricta eſt, quo elapſo, poſſeſſio illa ciuilis finitur; e. g. in commodatario, ſi rem vltra tempus, a domino rei ſibi conceſſum, detineat.

VII.

Juris vocabulum, quo, in definitione poſſeſſionis ciuilis conſtruenda, vſi ſumus, (§. 6.) ex vulgari quidem vſu ſatis notum, ſed, ſi recte meminimus, apta definitione vix explicatum eſt. Nec enim quis illam *Puſendorffianam* explicationem pro definitione amplectetur, qua *I. N. et G. L. I. c. I. §. 20. qualitas moralis eſſe* dicitur, ***vi cuius recte vel perſonis imperamus, vel res tenemus, aut cuius vi aliquid nobis debetur.*** Illa enim enarratio ſpecierum Iuris, ***in res, in perſonas,*** quam valde a definitionum caſtitate abhorret? porro quid ſibi vult qualitas moralis? quid ***recte*** imperare, ***recte*** tenere? Nonne IVS melius explicatur per ***facultatem naturalem, cuius exercitium per***

legem non impeditur. Multas ſcilicet facultates habemus, quas tamen, ne in actiones erumpere patiamur, lege, vel naturali, vel diuina, vel ciuili, prohibemur. Facultas vero, ſi quae nullam legem ſibi aduerſam habeat, ius dicitur. Sic homo maſculus liber, et adultus, ius habet vxorem ducendi, cum et per vires naturales id agere queat, nec vlla lege, ne vxorem ducat, impediatur. Sic qui *venandi* iure gaudet, nihil prae caeteris, qui hoc iure carent, praecipui habet, quam quod a feris capiendis, occidendisque, legibus non prohibeatur, quae pleriſque, ne eandem actionem ſuſcipiant, ſua ſeueritate obſtant.

VIII.

Quotiescunque quis iure quodam gaudet, toties caeteris hominibus officium incumbit cauendi, ne alterum iure ſuo priuent. Ius enim eſt facultas aliquid agendi per legem non impedita, (§. 7.) Facultates autem, quibus inſtructi ſumus, noſtras perfectiones conſtituunt. Cum igitur perfectiones alteri, quibus gaudet, eripere per leges naturae

nefas

nefas ſit, omnis quoque actio, qua alterius ius, vel tollimus, vel turbamus, Legi naturae aduerſatur. Si quis e. g. iure gaudet *aquam ex puteo hauriendi*, reliquis id officii incumbit, vt nec fontem obſtruant, nec aditum ad puteum praecludant, nec aquam denique, vt ad vſum inepta fiat, inficiant.

IX.

In definitionibus *poſſeſſionis naturalis*, *occupationis*, *rei vacuae*, *traditionis*, et *poſſeſſionis ciuilis*, condendis, hoc artificio vſi ſumus, vt, quicquid hae notiones vel obſcuri, vel ambigui, habent, id omne in vnam *poſſeſſionis momentaneae* notionem coniecerimus. Ex qua re illam vtilitatem adipiſcimur, vt ſi haec ſaltem nouo iuſta *Theoria* illuſtrata et foecunda facta ſit, huius lumen, huiusque foecunditas, ad omnes, quas iam adduximus, et quas porro formabimus, notiones dimanet.

X.

Quo vero vberiorem concluſionum vim notio *poſſeſſionis momentaneae* continet, eo

difficilius eius Theoria inueſtigatur. Nec enim vulgarem, qua vtimur, huius termini notionem, valde expeditam, et perſpicuam eſſe, inde colligimus, quod haud raro tam ancipites de poſſeſſione momentanea quaeſtiones, et lites, oriantur, vt hae iudicis non ſolum autoritatem, ſed et acumen et ſcientiam, deſiderare videantur. Ex comparatis autem inter ſe exemplis illud conficimus: POSSESSIONEM MOMENTANEAM *eiusmodi rei vſurpationem* eſſe, *qua poſita, alius rem eandem vſurpare nequeat.* Sic *lecti* momentanei poſſeſſores ſumus, cum in eo decumbimus: *annuli*, cum eum digito, *nummi*, cum marſupio gerimus: *conclauis*, in quo cum ſuppellectili noſtra commoramur: nemo enim alius vel lecti, vel annuli, vel nummi, vel conclauis, vſum habere poteſt, niſi ab vſurpatione illarum rerum, vel ſponte, vel vi coacti, ante abſtineamus.

XI.

Sed hic, niſi in omnibus, quae a *poſſeſſione momentanea* lucem mutuantur, notionibus haerere

haerere velimus, multa probe diſcernenda et prouidenda ſunt. Et *primo* in multis rebus difficile quidem, ſed tamen neceſſarium eſt, actiones et vſurpandi modos definire, qui poſſeſſionem rei, per quam omnes alii ab eiusdem rei vſurpatione excludantur, conſtituunt. Sic *equi*, cui alter inſidet, alter freno apprehenſo adhaeret, poſſeſſio, cui tribuenda ſit, dubium videtur. *Praedii* quoque poſſeſſio momentanea, quibus actionibus contineatur, non omni ex parte expeditum eſt. *Deinde* plures ſaepiſſime perſonae vnam rem poſſident, eoque vnam poſſeſſoris momentanei perſonam moralem conſtituunt: quod qua ratione fiat, itidem explicandum eſt. *Porro* poſſeſſio vnius rei ſaepe inuoluit poſſeſſionem alterius cuiusdam rei, quam *acceſſoriam* dicere ſolent: vnde Theoria *rerum principalium* et *acceſſoriarum*, quam valde de poſſeſſione iudicaturis ſcitu ſit neceſſaria, facile perſpicitur. *Nec minus* id quoque in vſum huius doctrinae definiendum eſt, qui fiat, vt res, natura, loco, omnique, vt videtur, ratione disiunctae,

pro vna re habeantur, vt *grex*, qui nunc ex pluribus, nunc vero paucioribus ouibus componitur: vt *praedium*, quod ex aedificiis, aruis, ſiluis, gregibus, armentis, piſcinis, veluti partibus, componitur. *Denique* cum, vt alia multa per alios agimus, ita quoque res per alios poſſideamus, nec haec poſſeſſionis affectio ſine profundiori diſcusſione praetermittenda eſt, ſi omnes huius doctrinae rationes perſpectas habere velimus: quarum ſi vllam ignoremus, dubitationes circa poſſeſſionem, traditionem, occupationem, ipſumque dominium, orituras nec vitare, nec iam enatas ſoluere, poterimus. Secare autem nodos, etſi in negotiis ciuilibus ſaepe ſit neceſſarium, a ſcientiarum tamen fine et more alienum eſt.

XII.

Poſſeſſionem naturalem per continuam poſſeſſionem momentaneam (§. 3.) deſcripſimus. *Continuum* autem hoc pertinet ad tempus; quippe is, qui per aliquem temporis tractum rei cuiusdam poſſeſſionem momen-

momentaneam habuit, poſſeſſor naturalis per illud tempus fuiſſe dicitur. Haec igitur noſtra definitio duas notiones complectitur partiales: *poſſeſſionis* ſcilicet *momentaneae*, quam (§. II.) explicui, et notionem *continui* tanto accuratius deſcribendam, quanto plus vel ideo momenti habet, quod, per leges ciuiles, diuturna poſſeſſio tandem dominium poſſeſſori largiatur. Haec ſcilicet continuitas poſſeſſionis momentaneae, probe a continuitate temporis in ſe ſpectati, diſtinguenda eſt. Cum enim poſſeſſio momentanea in vſurpatione rei conſiſtat: vſurpatio vero ſit actio quaedam noſtra: ſequitur vt *poſſeſſio momentanea continua* ſit ſeries quaedam actionum, quibus ſingulis rem quandam vſurpamus. Actiones vero illae, ſi in exempla attentionem dirigamus, non ſemper immediate ſe inuicem excipiunt, aut ſibi inuicem cohaerent, ſed longis temporum interuallis nonnunquam disiuncta eſſe deprehenduntur. Sic enim *diaetam*, tempore hyberno, vacuam relinquimus, et, quamuis poſſeſſionem ciuilem retineamus, rem ipſam tamen

nec

nec ipſi, nec per alios, poſſidemus: Sic *ſubſellii in templo*, non omnibus horis, non quotidie, ſed tempore ſaltem cultus diuini celebrandi, et ne tunc quidem ſemper, vtimur, ſalua noſtrae poſſeſſionis continuitate. Nempe cum omnis rei vſurpatio, (de poſſeſſione enim nuda, quae excipienda videri poſſet, mox dicemus) aliquam vtilitatem in poſſeſſorem conferre debeat, ex voluntate poſſeſſoris aeſtimandum eſt, quo tempore, et per quae interualla, rem ad vſus ſuos transferre, eamque actu poſſidere, velit. Quaedam etiam res per naturam ſuam non ſemper poſſideri poſſunt, vt *ſubſellia in templo*, quorum, extra ſacrorum procurationem, nullus vſus eſt: vt *diaeta*, cuius vtilitas omnis tempore hyberno ceſſat. *Continua* igitur *vſurpatione* et *poſſeſſione momentanea* rei cuiusdam quis fruitur, cum eam, quoties et per naturam rei licet, et illi libet, vſurpat et poſſidet. Cum igitur quem dicis per decem, viginti, aut triginta annos rem (naturaliter) poſſediſſe, non id innuis, illum per tot annos, nullo temporis momento excepto,

rei

rei veluti incubuiſſe, ſed illud ſaltem doces, eum rem, quotiescunque ipſi libuit, et rei natura id paſſa fuit, eam vſurpaſſe et momentaneam eius poſſeſſionem habuiſſe. Hoc igitur tempus, per quod quis rei momentaneam poſſeſſionem actu habuit, ſaepe multo breuius eſt tempore, quod indicari ſolet, decem, viginti, aut triginta, annorum. *Tempus, quo quis rem vel per naturam ipſius poſſidere non poteſt, aut poſſidere non vult,* TEMPVS QVIESCENS appellabimus. Cum igitur continuam poſſeſſionem momentaneam, h. e. poſſeſſionem naturalem, cuidam tribuimus, eam quidem ex annis et menſibus ſupputamus, ita tamen, vt tempus non minus quieſcens, quod diximus, quam illud, quo re vera rei adhaeſit, in rationes referamus.

XIII.

Inuenta *temporis quieſcentis notione*, porro aliam poſſeſſionis ſpeciem commoda definitione explicare poterimus. *Poſſidere clam* eum dicimus, qui rem alienam vacuam eo tempore

tempore tenet, quo dominus, aut is, ad quem res pertinet, ea non vtitur: veluti, ſi quis aedes, quas dominus peregre profectus vacuas, et male clauſas, reliquit, ingrediatur, in illisque commoretur. Cum igitur tempus, quo dominus vel poſſeſſor ciuilis, rem ſuam vacuam relinquit, *tempus quieſcens* dictum ſit, (§. 12.) POSSESSOREM CLANDESTINVM illum eſſe docemus, *qui rem alienam tempore quieſcente naturaliter poſſidet.* Cum vero occupatio initium poſſeſſionis naturalis ſit, (§. II.) OCCVPATIONEM CLANDESTINAM contingere palam eſt, *cum rem alienam vacuam tempore quieſcente occupamus.* Quae definitiones et Theorematibus deducendis inprimis ſunt idoneae, et vulgares horum terminorum notiones multa luce perfundunt.

XIV.

Poſſeſſio naturalis, eiusque initium, occupatio, in certa, qua rem amplectimur, et vſurpamus, actione conſiſtit (§. 2.) Haec actio

actio *vel* iuſta eſt, hoc eſt, ex iure quodam, quo poſſeſſor gaudet, profluit, *vel* a iure poſſeſſionem inuadendi ſeiuncta eſt. Per ſe autem clarum eſt, atque perſpicuum, quod nemo poſſeſſionem naturalem ſibi arrogare debeat, niſi iuſtus, et ciuilis, poſſeſſor eius rei ſit. Vti vero homines ad negligendas aequiſſimas naturae leges proni ſunt, ita poſſeſſionem haud raro inuadunt, etſi nullo iure nitantur, nec poſſeſſoris ciuilis perſonam referant. *Poſſeſſio naturalis ab omni poſſeſſione ciuili, ſeu iure rem poſſidendi, ſeiuncta*, eſt id, quod POSSESSIO VITIOSA appellatur. Si quis e. g. *rem precario poſſideat*, et vltra conceſſum ſibi tempus rei inhaereat, poſſeſſionem naturalem quidem retinet, ciuilem uero poſſeſſionem ſiue ius poſſidendi amiſit, ac propterea poſſeſſio eius *vitioſa* eſſe reputatur. Sic etiam *poſſeſſio clandeſtina*, cum nullo iure nitatur, *vitioſa* eſt.

XV.

Dominium qui *ius* eſſe dicunt, *de re perfecte diſponendi*, profecto terminis vtuntur, qui

qui ex rationibus, regulisque, Philoſophicis aeſtimati, ad definitionem efficiendam minus accommodati ſunt. Nec enim aut *diſponendi*, aut *perfecte diſponendi*, vox, vel notio, ea luce radiat, quam Philoſophi in notionibus definitionem conſtituentibus deſiderant. Interim quia receptas ab eruditis definitionum formulas, quantum fieri poteſt, retinere, nec linguam Philoſophicam a communi loquendi uſu, niſi neceſſitas iubeat, vnquam diſcrepare volumus, terminis iſtis, medela adhibita, vtemur, ita tamen, vt illos nec incertis notionibus nobis imponere, nec, quae hactenus fuerunt, ſteriles eſſe, patiamur. DISPONERE igitur DE RE is nobis dicitur, *qui rei ſtatum voluntate ſua determinat*. PERFECTE DE RE DISPONERE nobis eſt, *omnem rei ſtatum, qui voluntati humanae ſubiacet, per voluntatem determinare*. Sic de *libro empto* perfecte diſponendi iure gaudeo, quippe qui, pro lubitu, illius folia diſſipare, lacerare, lituris foedare, compactori liganda tradere, porro ad vſus meos transferre, alteri commoda-

modare, in loculamentis, vel etiam in conclaui putrido, deponere, denique ſexcentis rationibus tractare poſſum. Etſi vero *perfecta de re diſpoſitio*, infinitas actiones, magnamque diſponendi varietatem complectatur, tota tamen ad duo capita reuocari poſſe videtur, ad diſpoſitionem nempe *de poſſeſſione* et *de ſubſtantia rei.* Cum de SVBSTANTIA rei diſponimus, eius internum ſtatum; cum vero de POSSESSIONE diſponimus, externum eius ſtatum voluntate noſtra determinamus. Si itaque *dominium*, per ius de re perfecte diſponendi definitum, minus tibi arrideat, aliam definitionem accipe, quod ſit *ius de rei ſubſtantia et poſſeſſione diſponendi.*

XVI.

Vſitatam *dominii* notionem, ni fallor, vberiorem reddidi, id quod tamen tractationi, ſecundum methodum Philoſophicam adornatae, non ſufficit, utpote quae, vt *realitatem* et originem notionis a priori demonſtret, a Theoriae conditore poſtulat. Et

ſane nihil nos, quo minus ad hoc negotium accederemus, moraretur, ſi modo notio dominii, quam effinximus, iam omni ex parte ſatis circumſcripta et expreſſa eſſet. Nempe notio, quam dedimus, vulgari dominii notione latius patet, et propterea incompleta eſt. Etenim *res*, quae *nullius* dicuntur, ita reuera ſunt comparatae, vt omnes homines ius habeant, de earum ſubſtantia et poſſesſione diſponendi; vnde fluere videtur, omnes homines dominio in res nullius gaudere, id quod tamen in notionem dominii vulgarem impingeret. Sic de *rana* in palude foedis ſuis cantationibus ſeſe oblectante, cui, quaeſo, non ius libere diſponendi competit? Cuilibet enim beſtiolam capiendo occupare, lapillis laedere, vel etiam occidere, integrum eſt, nec tamen quisquam dominium illius animalculi ſibi arrogat. DOMINIVM autem, ſi vulgari notioni ſtricte adhaereamus, eſt *ius perſonae, vel pluribus perſonis, proprium, de rei cuiusdam poſſeſſione et ſubſtantia diſponendi.* Cum igitur, vt diximus, in res nullius, omnibus ius

com-

competat iis vtendi, res vero permultae per naturam ſuam nullius ſint, aut quondam nullius fuerint, illud vtique inquirendum eſt, quomodo ius illud ad vnam pluresue perſonas reſtringatur, caeteriſque veluti adimatur. *Occupationem* a plerisque dominii cauſam allegari, lectio librorum, quibus Ius naturae traditur, nos condocet. Cum vero illi ipſi auctores, ex occupationis notione dominium commode deriuari non poſſe intelligerent, notioni occupationis pactum aliquod, a maioribus noſtris initum, adiungendum putarunt, vt ex hoc ſingularem dominium parturiendi vim conciperet. Nobis ſatius videtur ex principio quodam Iuris admodum vulgato: *neminem laede*, demonſtrare, qua ratione vna pluresue perſonae rem quandam, excluſis omnibus aliis, ad vſus ſuos adplicandi ius acquirant, id quod dominii notionem abſoluere, ex definitione noſtra patet.

XVII.

Sed haec ipſa *laeſionis* notio fini noſtro conuenienter inſtruenda eſt, cum vulgarem

eius, eamque confuſam, notionem, non quidem nobis aduerſam, ſed rebus tamen noſtris parum inſeruientem, experiamur. LAESIONEM nempe definiendam puto per *actionem, qua alterum perfectione quadam, qua gaudet, priuamus. Perfectiones* vero noſtrae ſunt, partim facultates mentis, partim vires et dotes corporis, partim facultates rebus extra nos poſitis vtendi, ſeu ad vtilitates noſtras adiungendi. Propoſitio igitur: *neminem laede:* etſi plerumque, nulla probatione addita, nec male, ſumatur, ab eo tamen, qui ſummo demonſtrandi rigori ſtudet, ex vniuerſali Iuris naturalis principio: *actiones omnes ad perfectionem et felicitatem generis humani dirigendae ſunt:* non multo negotio demonſtrabitur. Quae ipſa ſane diligentia, nec nimia, nec reprehendenda, videtur, cum omnes propoſitiones ad concluſiones deducendas multo fiant aptiores, ſi ex principiis notioribus, ſiue *a priori*, demonſtrentur, quam ſi praeciſis veluti neruis, quibus ex reliquo doctrinarum corpore inſtruuntur, et exſangues, ad tractationem veritatum afferantur.

XVIII.

XVIII.

Res extra nos poſitae fere omnes non ſine multo labore ad noſtros vſus adiunguntur. Sic *bruta* aut ſagaciter indaganda, aut per dolos capienda, aut longiori diſciplina adhibita ad manſuetudinem, et labores, adigenda ſunt: Sic *terra*, vt ſementibus recipiendis apta reddatur, aut a virgultis ſpiniſque purganda, aut foſſis ductis exſiccanda eſt; vt vero horti elegantiam induat, multo maiori et longiori induſtria, ſubigenda, irriganda, conſerenda eſt. Multae praeterea res, ipſam veluti *ſubſtantiam*, per actiones noſtras, nactae ſunt, vt aedificia, inſtrumenta, quibus in officinis vtimur, et tantum non omnia, quae ſuppellectilis notione comprehenduntur. Cum igitur induſtriae ſaepe noſtrae tribuendum ſit, quod res vſibus noſtris inſeruiant, quis non videt, poſſeſſionem momentaneam et naturalem illarum rerum diligentiae noſtrae mercedem reputandam eſſe, cum ſi ſegnes, ſi deſides, fuiſſemus, res per naturalem ipſarum conditionem poſſidere non poſſemus. Diligentiae igitur noſtrae acce-

ptum referendum eſt, quod facultate rebus iſtis vtendi gaudeamus. Facultas vero haec perfectionis loco habenda eſt, (§. 17.) quam, ſi nullius cum detrimento nobis acquiſiuimus, iuſte poſſidemus. (§. 7.) Nemini igitur facultatem iſtam nobis eripere licet. (§. 17.) Eripietur autem nobis haec perfectio, cum alius rei poſſeſſionem inuadit, eoque nos poſſeſſione excutit. (§ 10.) Ergo *rem, quam quis, induſtria ſua, vſibus ſuis accommodatam reddidit, nemo alius poſſidere, ſibique, vtendo, vindicare poteſt.* Qua ratione iſti, qui rem finibus ſuis aptam reddidit, ſoli ius eam vſurpandi et poſſidendi aſſeritur. Cum vero vnicuique iuris ſui partem alteri concedere liceat, is qui ſolus rem poſſidendi ius habet, iuris ſui particulam in alium transferre, adeoque de rei poſſeſſione diſponere, poterit.

XIX.

Ita, ex notionibus Iuris naturalis inter ſe comparatis, *ius perſonae proprium de rei poſſeſſione diſponendi* deriuauimus, id quod priorem

rem dominii partem, ſiue priorem eius notionem partialem, conſtituit. (§. 16.) Iam illud quoque, *qua ratione ius de rei ſubſtantia diſponendi ad perſonam vnam pluresue reſtringatur*, docendum eſt. Qui nempe ius de rei poſſeſſione diſponendi habet, perfectionem aliquam acquiſiuit. (§. 17.) Iam vero nos omnes ad perfectiones maiores acquirendas per naturam obligamur, omnesque, ne innocuum nobis progreſſum alterius ad maiorem felicitatem impediamus, ſeuere prohibemur. Ergo ſi quis rem finibus ſuis accommodatam immutare, aut in eo, quo iam deprehenditur, ſtatu retinere velit, idque e re ſua fore putet, reliquis nefas eſt, illum, quo minus de rei ſuae ſubſtantia diſponat, impedire. His igitur rationibus *ius rem poſſidendi et de eius ſubſtantia diſponendi cum excluſione aliorum acquirimus.* Si igitur illam actionem, qua *rem nullius* vſibus noſtris aptam reddimus, eaque in re operam et induſtriam impendimus, occupationem dicas, haud inepte ex *occupatione* dominium fluere ſtatues. Cum vero non

omnis occupatio ita comparata ſit, vt in eam multum diligentiae et laboris impendamus, et induſtriae fructum cum poſſeſſione perdamus, nec omnis occupatio, ſiue occupatio in ſe ſpectata, dominii genetrix reputari poteſt.

XX.

Originem, ſiue realitatem, dominii, a priori, et ex aliis Iuris naturae notionibus, non ea quidem, quam verae methodi ignari forte praeoptant, breuitate, ea tamen, quam partim rei perſpicuitas nobis indulſit, partim Elementorum, quae ſcribimus, anguſtiae nobis imperare viſae ſunt, deriuauimus. Multa vero, quae plerumque prolixius, ob defectum principiorum, et diſputantur, et probantur, ex notione dominii noſtro more ſtabilita in compendium mitti, atque vno, et item altero, ratiocinio confici poſſunt. Ita *territorium*, an iure dominii, an poſſeſſionis, a gentibus, et, qui illarum perſonam referunt, principibus teneatur et vſurpetur, in vtramque partem diſputari ſolet. Ex noſtra autem dominii Theoria, terram, vel rectius

terrae

terrae partem, vt dominum patiatur, inprimis idoneam eſſe, facili negotio oſtenditur; quippe quae, vt a naturali vel ſterilitate, vel inanitate in commodam gentis ſedem transmutetur, non ſolum multorum hominum, ſed et plurium annorum, imo ſeculorum, culturam requirit. Gentem itaque nunquam, niſi per atrociſſimam laeſionem, ſedibus ſuis exturbare quisquam poterit, id quod *dominium* efficere ante diximus. Sic controuerſia de *mari libero*, magnitudine potius rei, quae in diſceptationem venit, quam argumentorum, quibus libertas maris vel oppugnata, vel defenſa eſt, ponderibus illuſtris, vno *Theoremate*, ex notione dominii fluente dirimitur. Propoſitio vero, a qua tantae controuerſiae, quatenus nempe rationibus, non armis, agitatur, exitus pendet, haec eſt: *quicquid poſſeſſionem naturalem non admittit, illud nec in dominio eſſe poteſt*: aut, quia occupationem nihil aliud quam initium poſſeſſionis naturalis eſſe diximus, (§. 3.) haec altera: *quicquid a nemine occupari poteſt, illud in nullius dominio eſſe poteſt.* Iam nemo principum vnquam totum Oceanum

vel occupaſſe, vel naturaliter poſſediſſe, ſe iactauit: Ergo nulli genti, nullique principum, Oceani dominium tribui poteſt. Porro rei, cui poſſeſſio naturalis repugnat, poſſeſſio ciuilis quoque repugnat, (§. 6. 7.) quo ipſo omne ius in Oceanum, quod vlla ratione confingi poſſet, proſcribitur, quale eſt illud, quod ex donatione Pontificis Romani elicitur.

XXI.

Domino ius rem ſuam pro lubitu naturaliter poſſidendi tribuendum eſt, per definitionem (§. 16.) datam: ergo *dominus eſt poſſeſſor ciuilis rei ſuae.* Iam vero et is, qui rem alienam aut commodatam, aut conductam, accepit, huius poſſeſſione ciuili fruitur. (§. cit.) Poſſeſſio igitur ciuilis duplex eſt, *alia,* quae *ex dominio fluit,* quam POSSESSIONEM PROPRIAM appellabimus, alia, quae *cuicunque iuſto poſſeſſori, praeter dominum, competit,* quam IMPROPRIAM POSSESSIONEM vocabimus. Hoc tamen, quod indicauimus, diſcrimen poſſeſſionis propriae et impropriae, externum ſaltem eſt, cum bonae con-

tra

tra definitiones internas notas deſiderent. Si igitur id, quo duae hae notiones differunt, intimius ſcrutemur, poſſeſſionem impropriam ad certum ſemper, et definitum, tempus reſtringi deprehendemus, cum contra poſſeſſiones propriae duratio, perinde vt ipſum dominium, nullo tempore circumſcriptum ſit. Etenim, e. g. *in locatione conductione* tempus finiendae locationis definitur, cum quo ipſa poſſeſſio ciuilis, qua conductor gaudet, exſpirat. Idem quoque temporis limes poſſeſſionem *commodatarii* conſtringit. Poſſeſſio vero propria nullis temporis anguſtiis includitur, ſed cum ipſo dominio perennat.

XXII.

Ex vulgari igitur, eaque, vti vidimus, vaga *poſſeſſionis* notione, quinque omnino notiones, ratione duce, in lucem protraximus: *Poſſeſſionem* nempe *momentaneam, poſſeſſionem ciuilem, poſſeſſionem naturalem, poſſeſſionem propriam,* et denique *poſſeſſionem impropriam.* Horum nempe terminorum, notionumque ipſis reſpondentium, ope, quandocunque

cunque de *poſſeſſione* philoſophamur, propoſitiones fixum, et determinatum, ſignificatum habentes, formare nobis licet, vel etiam propoſitiones, de his notionibus iam formatas, ad certam ſignificationem reducere, dummodo in ſingulis, pro generali *poſſeſſionis* voce, ſemper ſpeciales notiones, aut *momentaneam*, aut *ciuilem*, aut *naturalem*, cogitare et pronuntiare diſcamus. Quod diligentiae genus iis quidem, qui Philoſophiae ſtudiis ſe addictos profitentur, tam grauiter incumbit, quam turpis ipſis regularum Logicarum vel inſcitia, vel neglectus, ducitur. Quid vero de iis partim Axiomatibus, partim Theorematibus, quae non minori copia, quam induſtria, a priſcis ICtis inuenta, Legibusque Romanis inſerta ſunt, ſtatuendum ſit, num ſcilicet iisdem, quibus doctrinae Philoſophicae, ſubiectae ſint regulis, Iuris Antiſtitibus diiudicandum relinquo. Haec certe, de *poſſeſſione*, doctrina illa eſſe videtur, quae prae caeteris, ſummum per omnia *Leibnitium* ad *Digeſtorum* opus, cum Mathematicorum ſcriptis comparandum, permouere, ipſique has aeterni illius operis

laudes

laudes extorquere potuit: *Ego Digeſtorum opus, vel potius Autorum, vnde excerpta ſunt, labores admiror, nec quicquam vidi, ſiue rationum acumen, ſiue dicendi neruos ſpectes, quod magis accedat ad Mathematicorum laudem. Epiſt. Leibn. T. I. Ep. CXIX. 2.*

XXIII.

Poſſeſſionem momentaneam per vſurpationem rei definiuimus. (§. 3.) VSVRPARE vero *rem* eſt, *eam ad vtilitatem noſtram adiungere.* In omni ergo poſſeſſione ſimul vtilitatis, quae in poſſeſſorem redundat, notio includitur. Et, vel hanc ob cauſam, vox *apprehenſionis* ex definitione poſſeſſionis eliminanda nobis viſa eſt, quod nulla vtilitatis, cum poſſeſſione neceſſario coniunctae, indicia contineat. Neque hanc notionem poſſeſſionis pro lubitu fingimus, ſed eam neceſſario ſic concipiendam eſſe oſtendimus, ſi eius iura, et tantum non ſanctitatem, ex definitione demonſtrare velimus. Id quod vel ex eo probamus, quod plerique, cum ad actionem potius, quae in poſſeſſione continetur, quam vtilitatem, ex poſſeſ-

poſſeſſione percipiendam, reſpexerint, huius vi non ſatis intellecta, et in occupationis, et dominii, explicatione haeſerint. Ratum itaque ſit atque firmum, *omnem poſſeſſionem vtilitatis notionem ſinu ſuo et ambitu comprehendere.* Sed hic terminus *poſſeſſionis nudae* nobis obſtare videtur, quo ius denotatur, vel actio, qua rem alterius cum excluſione quidem aliorum, ſed ſine vlla in nos redundante vtilitate, tractamus. Quam notionem equidem, vt *realem*, veneramur; ſed id tamen cauendum putamus, ne cum poſſeſſionem quandam nudam dici audimus, vtilitatem perceptam, vel percipiendam, *accidens* poſſeſſionis verae eſſe, inde concludamus, ſicque ex voce, *nuda*, argumentum ducamus. Cui rei etſi per regulas Logicas iamiam cautum ſit, quae veritatis inueſtigatorem, non ex terminorum compoſitione, ſed ex definitionibus argumentari iubent, vulgari tamen praxi, quae regulis iſtis, ſapientiſſime conſtitutis, contraire ſolet, obicem, admonitione data, ponendum putauimus.

XXIV.

XXIV.

Fidem igitur datam, exhibitis his *elementis Theoriae poſſeſſionis et dominii*, liberaui. Qua in re, etſi omnia ad Syſtematis Philoſophici perfectionem, tanquam principem huius ſcriptionis ſcopum, ita retuli, vt ille, qui huc vsque in iure naturae vacuus fuit locus, quodammodo repletus videatur, nec tamen illius, quam Theoriae Philoſophicae doctrinis omnibus aliis afferre debent, opis immemor fui, ſed ita has meditationes inſtruxi, vt ſi cui *terminis* a nobis explicatis, cum in Iurisprudentia adhibentur, noſtras *definitiones* ſubſtituere libuerit, has non ſolum non aduerſas, ſed et maxime conſonas, experturus ſit. Quam noſtrarum definitionum vtilitatem, et cum reliquis doctrinis conſenſum, multo quidem illuſtriorem reddi potuiſſe intelligo, ſi iſtis ſua, quae inde fluunt, *Theoremata* adiunxiſſem; quo minus tamen tam amplae tractationis molem in praeſenti ſuſceperim, non tam difficultate, quam ancipiti rei euentu, me permotum profiteor. Non enim ignoro, quo

plerum-

plerumque vultu nouae rerum definitiones excipiantur, nec illam ſortem recuſo, quod notiones diſtinctae ideo, quia vulgaribus confuſis notionibus valde ſunt diſſimiles, eo vsque ſuſpectae habentur, donec ipſo vſu crebraque applicatione eruditis familiares fiant, ſimulque illud, quod ipſis adhaereſcit, παϱάδοξον exuant. Ergo, ſi definitionibus hiſce, ab initio ſtatim, Theoremata adiuncta eſſent, haec quoque, vt pariter ſuſpecta, diſputationibus forte anſam darent, cum poſt receptas definitiones facillime animis prudentum ſeſe inſinuent. Si igitur has, quas in lucem publicam prodire iuſſi, meditationes, iis, quibus de rebus Philoſophicis iudicandi facultas data eſt, non diſplicere intellexero, in doctrinis hiſce latius diducendis, vberiusque exponendis, meam non deſiderari patiar induſtriam. Interea omni ope in id annitar, vt doctrinarum Philoſophicarum dignitas, meis quoque, licet tenuioribus, viribus et conſeruetur, et quodammodo augeatur.

SYN-

SYNOPSIS

DEFINITIONVM

IN

ELEMENTIS THEORIAE

POSSESSIONIS ET DOMINII

TRADITARVM.

I.

REM VSVRPARE *eſt* rem ad vtilitatem noſtram adiungere. (§. 23.)

II.

POSSESSIO MOMENTANEA *eſt* rei vſurpatio, qua poſita, alius eandem rem ſimul vſurpare nequit. (§. 3. 10.)

III.

OCCVPATIO *eſt* poſſeſſio momentanea prima. (§. 3.)

IV.

POSSESSIO NATVRALIS *eſt* poſſeſſio momentanea continua ſiue continuata. (§. 3.)

V.

RES VACVA *eſt* res, quae poſſeſſorem momentaneum non habet. (§. 4.)

VI.

EVACVATIO *eſt* actio, qua poſſesſione naturali abſtinere incipimus. (§. 5.)

VII.

TRADITIO *eſt* occupatio euacuationi continua euacuante et occupante conſentiente facta. (§. 5.)

VIII.

TEMPVS QVIESCENS *eſt* tempus, quo quis rem vel per huius naturam vſurpare non poteſt, vel vſurpare non vult. (§. 12.)

IX.

POSSESSIO CLANDESTINA *eſt*, cum rem alienam tempore quieſcente poſſidemus. (§. 13.)

X.

OCCVPATIO CLANDESTINA *eſt* occupatio rei alienae tempore quieſcente facta. (§. 13.)

XI.

IVS *eſt* facultas naturalis, cuius exercitium per legem non impeditur. (§. 7.)

XII.

POSSESSIO CIVILIS *eſt* ius rem naturaliter poſſidendi. (§. 6.)

XIII.

POSSESSIO VITIOSA *eſt* poſſeſſio naturalis cum poſſeſſione ciuili non coniuncta. (§. 14.)

XIV.

DE RE DISPONERE *eſt* rei ſtatum voluntate ſua determinare. (§. 15.)

XV.

PERFECTE DE RE DISPONERE *eſt* omnem rei ſtatum voluntate ſua determinare. (§. 15.)

XVI.

DE SVBSTANTIA REI DISPONERE *eſt* rei ſtatum internum per voluntatem determinare: *ſiue* de rei ſtatu interno diſponere. (§. 15.)

XVII.

DE POSSESSIONE REI DISPONERE *eſt* ſtatum rei externum per voluntatem determinare: *ſiue* de ſtatu externo rei diſponere. (§. 15.)

XVIII.

DOMINIVM *eſt* ius de rei ſubſtantia et poſſeſſione diſponendi. (§. 16.)

XIX.

LAESIO *eſt* actio, qua alterum perfectione quadam, qua gaudet, priuamus. (§. 17.)

XX.

POSSESSIO PROPRIA *eſt* ius perpetuum rem naturaliter poſſidendi. (§. 21.)

XXI.

POSSESSIO IMPROPRIA *eſt* ius rem per definitum tempus naturaliter poſſidendi. (§. 21.)

CARMEN HEROICVM

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO

DOMINO

BERNHARDO

S.R.I.L.B. DE **ZECH,**

POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE MINISTRO STATVS QVOCVM INTIMA ET SANCTIORA CONFERT, CAPITVLI CIZENSIS DECANO RELIQVA

BERNHARDI DIE ANNO cIↃ IↃcc xxxv.

CONSECRATVM.

Digitized by Google

* * *

QVis mea laetificus ſtimulat praecordia ſenſus,
Inſolitoque ciet ſalientes flumine venas,
Atque per internas penitus cupit ire medullas?
Quidue nouo Titan lucet ſplendore ſerenus,
Quali, ſi longis latuerunt ſidera nimbis,
Mox ſqualido tenebris orbi ſua lumina reddit?
Cur regit inſolito currentia ſidera motu,
Praecipitansque gradus ſuperas contendit ad oras?
At iam conſpicio, dum noſtris altius agris
Surgit, et horarum famulae dum munia turbae

Diuidit, atque iubet, vigiles praeſcripta ſequantur,

Vt ſine nube DIEM telluri pandat amoenum,

BERNHARDO SACRVM. Iam non mirabile poſthac

Sole iubar ſparſum, perceptaque gaudia miror.

Quippe quot immenſis ſpatiis volitantia cerno

Spicula, quotque ſuo radios de corpore mittit

Phoebus, fauſta mihi tot laetus nuntia perfert,

Totque cupit ſignis almam ſpondere ſalutem

ZECHI, quem gentis venerantur pectora tantae,

Quem-

Quemque duces magni tot amant, Regesque potentes,

Cuius ſaepe humeris laſſata recumbere dextra

AVGVSTI, feſſos artusque reponere gaudet.

HOC quia ſtante ſuum bene creſcere vidit honorem

DICTA DIES, habitumque pari, quo nomine feſtae,

Atque piis votis celebratum ſenſit vbique,

Quam primum a Phoebo rutilans adducitur orbi,

BERNHARDVM ſubito, ſine quo neglecta volaret,

Nuntiat incolumem, et tanto ſe munere multum

Iactans aureolas toto ferit aethere flammas.

Quin et fatidico venturas omine prodit
Laetitias, oculis ſubductaque fata recludit.
Namque SVI HEROIS, quo lux hodierna ſuperbit,
Ni fore fortunas (ſiquidem praeſaga futuri
Aſtra ferunt) ſtabiles ſciret, iam triſtia quaedam
Fronte ſua Phoebus procedens ſigna referret,
Nec tantum poſſet vultu ſimulare timorem.
Verum digna die tali ſua lumina ſpargens
Non operis ſueti membris inſpirat amorem,
Sed calidas curis mentes melioribus urget,
Vtque cauam vario ſubigit diſcrimine terram,
Percita ſic ſtudiis diverſis pectora mulcet.
HOS SANCTVM ILLVSTRIS ZECHI reſonantia NOMEN

Vota

Vota iuuant: alii ZECHI memoranda per omne
Aeuum, num digno valeant expromere geſta
Carmine, ſolertes tentant; benefacta clienti,
Quanta poteſt vnquam memori diſcernere lingua,
Hic narrare cupit: multi communia verſant
Saxonia ZECHI curis depulſa pericla:
Tempora pars noſtrum gaudens praeſentia laudat:
Pars amat euentus animo praecurrere tardos,
Et quales, ZECHO moderante, exſurgere vidit,
Annos, ingenio tentat formare futuros:
Plurima pars, quamuis intentae laudibus ore

Mentes eniteant, et relligione redundent,
Ne tantis forſan rebus non digna loquatur,
Dum metuit, linguas potius, calamosque coercet:
Pars, ſua non patiens tacita euaneſcere vota,
Prorumpit in voces et dura ſilentia rumpit.
Attamen haud violat ſancitam audacia legem,
Quae tenuem longe turbam ſublimibus arcet
Sedibus, et ſacras prohibet confundere curas.

At mihi ſtat timida iam nunc excedere turba,
Ipſaque confidens BERNHARDI tecta ſubibo.
Ius dabit audenti pietas, qua, Numina teſtor,

ZECHIA-

ZECHIADVM GENTEM dudum coluiſſe ſuprema,
Non vanus iacto. Nam, pectore nata paterno,
Tranſiit in noſtrum, primisque agitauit ab annis.
Ipſius at pietas portas recludit Olympi,
Hacque fauente licet magni Iouis ora tueri:
Ipſe PATER PATRIAE, crebro deuictus eadem,
Auratos cupidis aditus euoluere mandat:
Gratia num ZECHI, quo non eſt mitior vllus,
Veſtibulo poterit pietatem excludere noſtram?

Sed datur optato mihi iam ſub limine ſtare,
Nec procul vlterius faciem viſusque PATRONI

Colli-

Colligo diſperſis radiis, ſed multa benignae
Haurio vicinis oculis veſtigia mentis.
Iam monet IPSE ſuis propius ſuccedere tectis,
Ne dubius cuncter: timidis iam prendere limbum
Dat manibus veniam: placidis me vocibus vltro
Compellat, laeuumque iubet ceſſare timorem.
Namque mihi ſimulac patuere palatia tanta,
Ipſaque DIVINI multa grauitate verenda
Frons ZECHI, faciesque nihil celata refulſit,
Obſtupui, multusque genas circumſtetit horror,
Atque loquuturi dubitans vox faucibus haeſit.

Sanctior

Sanctior in cauſa eſt ſpecies obiecta modeſtis
Senſibus, et metuens tantae reuerentia lucis,
Vndique quam ſpargunt collectae pectus in vnum
ZECHI Virtutes: paucis imitabilis aequi
Ardor, et illa feris fatis prudentia maior,
Intemerata fides, bonitas non arte parata,
Summus amor patriae, ſumma et veneratio diuum,
Dotibus his quotquot iungit natura ſorores.

Interea reddit multum ſpectata vigorem,
Et reficit fractas virtutum gratia vires,
Iam redeunt voces, redeunt ardentia vota,
Vtque diu clauſas, tenues licet, agmine facto

Rivus

Riuus trudit aquas, pietas ſic noſtra timore
Eruta feſtino ſpiramine talia fatur:
O DECVS, O noſtris demiſſum coelitus orbi
DONVM, TE, prodeſt, ſaluo producere vitam,
TEque ducem ſecli cupimus ſortisque futurae.
Aſtra petas ſerus, quin implacabile fatum
ILLA TVAE GENTIS SIGNIS DIGNISSIMA PROLES,
Eludens et AVVM et PATREM certiſſima reddat.
Denique LONGA Tui fortunas GRATIA ſerui
Suſcipiat, nutuque graui mea vota ſecundet.

IDEA

Digitized by Google

IDEA

CIVILITATIS ECCLESIASTICAE

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISSIMO

DOMINO

CHRIST. GOTTLIEB

DE HOLTZENDORFF,

POTENTISSIMI POLONIARVM
REGIS MINISTRO STATVS INTIMO,
CAETERA CVM ANNO cIↄ Iↄcc xxxvIII.
SVMMO SENATVI ECCLESIASTICO
PRAESES DATVS ESSET
DICATA.

IDEA

CIVILITATIS ECCLESIASTICAE.

VIrorum, qui gubernaculis Reipublicae tractandis admouentur, ſingularis in eo ſors deprehenditur, quod, cum caeteri magnam prudentiam prae ſe ferant, ſi legibus, hisque aemulis moribus et inſtitutis maiorum pulchre parere didicerint, in iſtis ſublimior quaedam, vltraque id, quod legibus ſancitum, vel vſu receptum probatumque eſt, prouidens ſapientia deſideretur. Incidunt enim ſubinde tempora, quae, vt inſolita et improuiſa, neque exemplis inſtrui, nec legibus ordinari a maioribus potuerunt, quibusque illi ipſi, quos attingunt, conſulere neceſſe habent, niſi, cum alienis praeſidiis deſtituantur, ſibi quoque ipſi turpiter deeſſe velint. Sic Roma quondam, cum, et inſtitutorum praeſtantia, et exemplorum copia vnice floreret, nonnunquam in tam dubium ſtatum coniecta eſt, vt

Patres Senatusconſultum, quo conſulibus ſalutem patriae commendarent, non aliud in promptu habuerint, quam illud: CAVERENT CONSVLES, NE QVID RESPVBLICA DETRIMENTI CAPERET. Quae ſolemnis formula, etſi nihil, praeter adhortationem, officiique conſularis commemorationem, continere videatur, Salluſtio tamen auctore, ſummam conſulibus poteſtatem permitti, ſignificauit, exercitum comparandi, bellum gerendi, coercendi omnibus modis ſocios atque ciues, domi militiaeque imperium atque iudicium ſummum habendi, quarum rerum nulla aliter conſuli ius erat. Videntur itaque anxii laborantis reipublicae Patres id negotii hoc decreto conſulibus dediſſe, vt nouas, et inuſitatas, patriam ſeruandi rationes indagarent, ſummam autem omnium rerum poteſtatem eo conſilio addidiſſe, vt deſtinata quam maturiſſime confici poſſent. Ex quo intelligitur, conſulem, tranquillo licet tempore, ita rempublicam capeſſere debuiſſe, vt, quam conſtitutam inueniret, ipſe, ſi res

poſcat,

poſcat, conſtituere ordinareque valeret. Perinde autem uniuscuiusque ciuitatis ſalus in lubrico agitur, niſi iſti, quorum fidei commiſſa eſt, cum excellenti ſapientia tantam ingenii alacritatem coniunctam habeant, vt in dubiis ſubitisque cauſſis eadem, aut non multum minori, ſecuritate, quam in obuiis, definitisque, verſentur.

Condidit ſummus rerum arbiter, in media hominum infrunitorum colluvie, ſingularem ciuitatem, quam hinc cultus diuini excellentia, hinc praemiorum propoſitorum immenſa amplitudine, hinc morum vitaeque eximia ſanctitate diſtinctam eſſe voluit; quamque, per diuturnam tyrannidem infinitosque caſus vexatam iactatamque, in loco tandem tutiori collocauit. Nec ſatis habuit, hanc, ſi primordia ſpectes, exiguam manum mente diuina magni reputare, quin eam regum principumque ſtudiis ita auxit confirmauitque, vt ampliſſimae reipublicae formam, inde a multis ſeculis, referat. Quamuis etiam eiusdem coetus caput, ſum-

mumque rectorem ſe ipſe gerat, ac propterea aduerſos, ſi qui incidant, caſus ſua cura complectatur, iuſſit tamen ciues, qui maiori vel prudentia, vel potentia gauderent, caeteris, ſi non imperare, conſilio tamen atque auctoritate, quantum poſſent, anteire. Quo fit, vt Eccleſia, iuſtae inſtar reipublicae, per varios muniorum gradus regatur, quae prouti diligenter, vel ſecus implentur, ita res Chriſtianae, nunc creſcunt, nunc peſſum eunt hinc illincque, vel plane corruunt. Vnde ſingularis quaedam prudentiae ſpecies exſurgit, quae tota in promouendis coetus Chriſtiani commodis uerſatur, caeterum, ſi cum ciuili componatur, dignitate facile huic par, amplitudine vero ſuperior etiam deprehenditur. Etenim magnum quidem eſt hominum temperare ſtudia et ad communem vtilitatem adiungere, id tamen, ſi poenarum praemiorumque, quae validiſſima ſunt voluntatis gubernacula, arbitrium habens, facile obtinetur, at multo maius eſt homines in ſententiarum ſimilitudine continere, aut, cum diſcordia iam inualuit, inter diſſentien-

tes

tes pacem alere, idque, non vi, ſed conſilio prouidentiaque efficere. Eo enim fit, vt, a quibus iſta peragenda ſunt, non ex legum conſuetudinumque formulis, ſed e re, ſuoque ingenio, conſilia depromere debeant. Id quod ex ſingulorum negotiorum indole rectius cognoſcitur.

Cum in republica priuatae ſocietates coire nequeant, quin exinde in iſtam damni quidpiam commodiue redundet, de coetu Chriſtiano, qui doctrinae morumque legibus continetur, merito an proſit reipublicae, an noceat, disquiritur. Confecta tamen iam dudum res eſt, tantum abeſſe, vt doctrinae a ſoſpitatore noſtro traditae, et Apoſtolorum miniſterio diſſeminatae, ſalutem reipublicae vlla ratione morentur, vt potius, ad tuendam illius ſecuritatem et tranquillitatem his nihil efficacius reperiatur. Interim poſtquam frequentiſſimae gentes ad Chriſti Nomen adorandum conuerſae, hocque, non tacito ſolum pectore, aut obſcurarum aedium abditis, ſed publica confeſſione at-

que celebratione, colendi facultatem adeptae ſunt, ſelecta ſacris procurandis tempora, perſonae, aedificia deſtinanda videbantur, quibus mox ritus cum ſolemnitate coniuncti bene multi acceſſerunt. Quae omnia, cum ad dignitatem Eccleſiae ſpectare merito crederentur, primum pie admiſſa, poſt imprudenter cumulata et immoderate aucta ſunt, eoque reipublicae grauia, imo, quam vt ferri poſſent, grauiora quondam fuerunt. Ita exemplo ſuperiorum temporum cognitum eſt, diſciplinam Eccleſiae intra eum modum coercendam eſſe, ne reſpublica vel ex temporis feriati prolixitate, vel morum aſperitate, vel ſumtuum in res ſacras faciendorum magnitudine, detrimenti quid capiat. Hoc vero, vti ad principis maieſtatem pertinet, ita hic, iure ſuo, ſubditorum ſacra inſpicit ac moderatur. Sed dum principes, dignitate huius poteſtatis capti, eam vltra ſuos limites proferre, ſtuduerunt, doctrinaeque ipſius, ſuadendae potius quam imperandae, arbitrium affectarunt, doctrinae contra antiſtites pro ſuo officio nitendum putarunt,

acer-

acerbiſſimae ſaepe contentiones, ex pacis ſtudioſiſſima religione, enatae ſunt, vix alio remedio exſtinguendae, quam ſi, explicato religionis ad rempublicam habitu, et principis in ſacra poteſtas et doctorum auctoritas accurate definiatur. Qua in re conficienda Sam. Puſendorffius, egregio conatu, quondam laborauit, multa quidem non contemnenda paſſim diſſerens, praeclariora tamen traditurus, ſi ex certis principiis, explicatisque rerum notionibus, ſua deriuaſſet.

Circumſpectione haud minori doctrinae, ex ſcriptis diuinioribus hauſtae, a corruptione prauarumque opinionum inſidiis praemuniendae ſunt. Nec enim vnquam tam ſtabilem coetus Chriſtiani fortunam expectare licet, vt nullis omnino turbis diſſidiisque agitetur, praeſertim, cum omnis ingeniorum deprauatio, quae quouis ſeculo ſingularis eſſe ſolet, magnum nouumque errorum prouentum afferat. Hos igitur ſi negligant, latiusque ſerpere patiantur, doctores, et quotquot Eccleſiae curas ſuſtinent, damnum paratiſſimum eſt, ſin oppri-

mere conentur, ne ſic quidem res periculo caret. Dum enim vnusquisque veritatis cauſam ſe agere confidit, alterique minime cedendum putat, in acriores lites erumpitur, mox inuiſa nomina ſparguntur, aliquando ab alterutra, aut vtraque parte, viribus reipublicae armata, bellum pro religione ſuſcipitur, quod, prouti varia fortuna geritur, ita aut mutuam tolerantiam gignit, aut victam partem in preſſae Eccleſiae ſqualorem coniicit, aeternum denique pugnantium mentibus odium infigit. Qui fluctus non niſi magna prudentia, aut diuino potius nutu, a coetu Chriſtiano arcentur. Nec enim facile vllum par tantis malis, quodque omnibus probetur, remedium afferas. Magnum concordiae praeſidium in eo maiores repoſuerunt, ſi Epiſcopos doctoresque, quaſi doctrinae vigiles, hinc inde diſponerent, publicas porro fidei formulas conderent, harumque ad obſequium homines adigerent. Quod ſi vero in neruum iam erupiſſet diſcordia, tum ſynodos cogendas, concilia conuocanda, pertinaces execra-

execrationibus territandos, nouas etiam fidei formulas concinnandas putarunt. Hodie contra haec omnia, an Chriſtiana libertate ac manſuetudine digna, coetuique puriori ſalubria ſint, varie dubitatum diſceptatumque eſt. Quae piorum maiorum reprehenſiones non quidem eo valent, vt hi antiquae ſuae gloriae, quam ſummis in eccleſiam meritis conſequuti ſunt, quicquam perdant, aut ipſorum inſtituta, per longiſſima temporum ſpatia commode ſeruata, abiicienda ſint; id tamen commonſtrant, vix vlla tam leni diſciplina puriorem doctrinam retineri, quin ea in prudentiae Chriſtianae regulas aut impingat, aut impingere multis videatur.

Quamuis etiam ex oraculis, ſanctiſſimo diuini Spiritus ore prolapſis, ſi, qua par eſt, auiditate excipiantur, egregia morum probitas, cultusque inprimis diuini ardor, ſponte naſcatur, vtrumque tamen e Chriſtianorum, certis legibus ceremoniisque deuincta, ſocietate magnum robur accipit. Agnoſcimus et hic prudentem maiorum ſolertiam,

qui

qui publicos congreſſus, coniuncta orantium ſuſpiria, ritus ad ſacras actiones accommodatos, precum hymnorumque ſolemnes formulas, ſacratos beneficiis diuinis celebrandis dies, multa alia, hoc conſilio inſtituerunt, quod ea ad commouendas hominum mentes ſenſumque pietatis, languore excuſſo, acuendum plurimum valere intelligerent. Singula autem haec, cum pulcherrima ſint, ſi tamen vel ſuperſtitione polluantur, vel moribus locisque non ſcite aptentur, tam deformia fiunt, vt coetui Chriſtiano, non dedecori ſolum, ſed et exitio eſſe posſint. Praeterea homines, in excogitandis confingendisque pietatis adiumentis, ingenioſiores plerumque, quam cautiores, eſſe, tum praeteritorum temporum memoria nos admonet, quibus, neglecto puriori pietatis fonte, eam, aut vanam potius eius vmbram, ex infinitis ſuperſtitionum generibus D. demum Lutheri opera proſcribendis, elicere moris erat, tum turbae oſtendunt, ante aliquot luſtra, in Luſatia inde excitatae, quod nonnulli nouis pietatem adminiculis ſuffulcire

cire conarentur. Quemadmodum ſcilicet res, pluribus manibus verſatae, breui ſordes contrahunt, ita nitidiſſimum ſanctiorem vitam in ſe aliisque excitandi ſtudium, a variis promiſcue ingeniis tractatum, horum vitiis facillime inquinatur, certiſſimo argumento, aeque in Eccleſia operam dandam eſſe, vt pietatis incitamenta non deſint, quam vt, non niſi explorata, iudicioque lecta, admittantur.

Merito id quoque purior coetus curae cordique habet, quibus rationibus iuuenilis aetas ad puriora ſacra adſueſiat, vnaque religio ad poſteros transmittatur. Hi enim, quam prompte maiorum ignorantiam retinent, ritusque traditos haud inuiti imitantur, tam grauate doctrinas, a vulgi captu remotiores, imbibunt, niſi hae ſolerti parentum aſſiduaque admonitione teneris adhuc mentibus inſtillentur. Ne igitur iſtorum ſegnities, vel, qua non infrequentius laborant, inertia in damnum religioni cedat, ſedulo cauendum eſt. Et erudiendi quidem inſcitiam librorum, ſumma fidei capita perſpicue

ſpicue explicata complectentium, vſus ſubleuat, negligentiam vero ſcholarum, idoneis viris inſtructarum, induſtria reprimit. Quare haec, licet exigua videantur, curarum tamen publicarum, quae in Eccleſia vigent, partem conſtituunt, eo diligentius voluendam, quo turpius eſt, ſobolem, quae ad arbitrium formari poteſt, rudem incultamque relinquere.

Etſi vero expoſitarum rerum procuratio naturali ingenii bonitate, aetate vſuque confirmata potiſſimum ſuſtineatur, praeceptis tamen ita vtitur, vt, quae innatas facultates, alioquin vage diffuſas, contrahunt, et Eccleſiae negotiis concinniores reddunt. Non vano itaque quis conſilio ſparſa doctiſſimorum virorum, de ſalute Eccleſiae ſtabilienda, monita in perfectae ſcientiae formam redigeret, et poſt tot clariſſimos Politicorum ſcriptores, Politicam Eccleſiaſticam conderet. Qua voce aliquam illius prudentiae partem, quae ſcilicet in ritibus Eccleſiae dirigendis verſatur, eximius quondam Theologus, B. Schomerus, compellandam

dam putauit. Huiusmodi nempe praeceptorum, ſuis nexibus implicatorum, congeries a dubiis comperta, a damnoſis vtilia, a peruiis abrupta, a tutis ſcopuloſa, accurate diſcernit, animumque pluribus rationibus ad negotia Eccleſiae adminiſtranda, praeparat. Certe, ne hoc doctrinae genus vmbratile, ſcholisque inſeruiens, reputetur, ipſa argumenti dignitas, continuoque vſu tractanda materies, effectura videtur.

Vltro, quod ſpero, PERILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME DOMINE, audaciae meae veniam dabis, qua tenuem, primisque ſaltem lineis deſcriptam, effingendae diſciplinae imaginem in oculorum TVORVM conſpectum, a quo imperfecta quaeque longiſſime ſummouenda erant, adducere ſuſtineo. Etſi enim haec ſcriptura viribus, ad TVAM ſibi gratiam conciliandam, non ſatis inſtructa ſit, id tamen opportunitatis habet, quod ſummae verecundiae, qua TVAM, nuperrime TIBI additam dignitatem contueri

par

par eſt, grauiter me admoneat. Siquidem, cum ſpectatum, inter aulae proceres, locum iam dudum obtinuiſti, vt non minus muniis, quam virtutibus, eluceres, nunc multo magis ſpectandus colendusque es, poſtquam PROVIDENTISSIMI PATRIS PATRIAE nutu, ſummi ſenatus Eccleſiaſtici moderamen, ſimulque Eccleſiarum et Academiarum, quae in Saxonia florent, patrocinium ſuſcepiſti. Quam curarum molem ita TIBI imponere paſſus es, vt eius vim et magnitudinem, antequam TE premeret, praeſenſiſſe intelligaris. Vt enim, pro doctrinae, qua polles, praeſtantia, inſuetorum negotiorum indolem facillime inſpicis, ita conſiliorum, quibus Eccleſiae decus conſeruatur, diſcrimen, non ſolum praeuidiſti, ſed et deguſtaſti, cum incerta Hernhutenſium ſacra cognoſcere iuſſus eſſes; ex qua re, quod ſine offenſione a TE tractata fuerit, non minorem laudem, quam ex impeditiſſimo negotio, reportaſti. Proinde ingens OPTIMI FELICISSIMIQVE REGIS NOSTRI bene-

beneficium munusque reputandum eſt, quod TE, hoc eſt, omnibus dotibus inſtructisſimum, omnibusque exoptatiſſimum, Eccleſiis praefecerit. Tametſi ipſa Academiarum ſalus nullius, quam TVO, arbitrio felicius permitti potuiſſet, quas, cum omnes, literarum amore quodammodo tincti, magno in pretio habent, TV, qui illo penitus imbutus es, non niſi ſumma cura poteris complecti. Largior certe benignitatis fons in pectore TVO redundat, quam vt Muſas, obſequii TIBI praeſtandi memores, deſpicere queas. Vides, quam hilares, quam in vota et carmina effuſae, TE Praeſidem Statoremque, coelitus ſibi datum, circumſtent, colant, venerentur. Et adhuc bonitate TVA, crebris hominum ſermonibus celebrata, commouentur, quam ſi olim experiundo cognouerint, TE ad aſtra ferent, TE poſteritati memorabunt, TE exemplum omnium virtutum vſurpabunt. Dummodo, quod ſperamus, deuotisque precibus exoptamus, diuturnum iſtud ſit Muſis gaudium, nec vllus,

niſi maiorem benefaciendi facultatem TIBI afferens, caſus TE ab iſta religionis literarumque tutela auellat. Hoc vnum a fortuna nobis dari cupimus, vt viuas, vtque integris corporis animique dotibus vtaris. Caetera TVA virtus, TVAque ſapientia conficiet. Exſurges indies meritis, exſurges AVGVSTI gratia, exſurges inclutae TVAE Gentis ſplendore. Aequabis maiorum TVORVM gloriam, ſatiabis tentandi clementiam TVAM explorandique cupiditatem, explebis clientum vota, nunquam denique Muſarum in TE pietatem obſequiumque deſiderabis.

THEO-

THEOLOGVS

EX

ANTIQVITATE ECCLESIASTICA

FORMATVS

AD

VRBANVM GODOFREDVM SIBERVM,

S. S. THEOLOGIAE LICENTIATVM, ANTIQVITATVM ECCLESIASTICARVM PROFESSOREM IN ACADEMIA LIPSIENSI ET AD AEDEM D. THOMAE ARCHIDIACONVM,

EPISTOLA GRATVLATORIA.

THEOLOGVS
EX
ANTIQVITATE ECCLESIASTICA
FORMATVS.

QVanto, Vir ſumme venerabilis Excellentiſſime, inde a multo tempore impenſius, eo Te dignitatis Theologicae gradu ornatum conſpicere, virtutum Tuarum cultores exoptarunt, quem et concedere Tibi iuſtiſſimum, et conſcendi a Te, aequiſſimum erat, tanto maiori gaudio, ſummis in Theologia honoribus Te affectum, iam intuentur. Id enim quemadmodum in me ipſe ſentio, ita in caeteris non ſuſpicor ſolum, ſed et mente animoque plane conſpicio. Vellem, datum mihi fuiſſet, ſpectantium Te tum, cum Doctoris inſignia ſumeres, ora vultusque contueri: credo, me non pauciores, de collatis Tibi prudentiſſime honoribus gaudentes, mentes, quam ora, nec rariores, ſerius ſal-

tem virtutes Tuas iis honoribus condecorari, dolentes ſenſus, ac vultus, obſeruaturum fuiſſe. Ita enim omnes in aeſtimanda Tua doctrina conſentiunt, vt, quo longius eam vulgari multorum aliorum anteponant, eo Te magis, quouis honore dignum eſſe, iudicent. Potuiſſent, fateor, Tua in quam plurimos collata beneficia, atque illa, qua, ad Te admiſſi omnes, capiuntur, oris Tui ſuauitas comitasque efficere, vt iſtum, ad quem aſcendiſti, honoris gradum, tam praeclaris licet, quibus gaudes, virtutibus non ſuffultus, non modo nemine indignante, ſed et multis exoptantibus, ſuſtineres. Sed hoc Tuis tantum, quibus haud paucos antecellis, meritis debes, quod ampliſſimos honores capeſſens, non ex nominis amplitudine dignitatem quaeſiuiſſe, ſed dignitatem, qua polles, digno nomine ornari paſſus fuiſſe, eaque in re, plus muneris Tui grauitati, quam Tibi dediſſe, exiſtimeris. Ita nempe varia Tua, ſtudioque non imitando comparata doctrina Theologica, eam vel coram ex Te audientium, vel ex ſcriptis Tuis diſcentium,

tium, oculos atque aures percellit, vt Te Theologum et eximium, et vulgari more minime formatum, ſtatim agnoſcant. Tanta enim et orationis vbertate, et perſpicuitate, de grauiſſimo quoque argumento diſputas, atque ita, quodcunque pertractandum Tibi ſumis, teſtimoniis, ex ampliſſima antiquitatum Eccleſiaſticarum ſupellectile depromptis, tanquam gemmis, diſtinguis, vt, quicquid, in vnoquoque vetuſtiſſimorum, quae Chriſtianae religionis aetas tulit, ſcriptorum, optimum reperitur, Tuum feciſſe, omnium conſenſu iudiceris. Quam Tuam laudem quo curatius diutiusque mecum animo reputo, eo magis mihi perſuadeo, tantum Theologo, ex rerum, in Chriſtiano coetu geſtarum, profunda cognitione, ornamenti accedere, quantum ipſa Theologia, ex illo ditiſſimo penu vel aucta iam a multis fuit, vel etiam augeri adhuc locupletarique poteſt, eamque tam praeclarum, inter ſanctioris doctrinae partes, tenere locum, vt, ſi Theologus perſonae ſuae dignitatem tueri velit, magna ex parte, ex antiquioris Eccle-

ſiae monumentis, veluti formandus videatur. Neque enim illa probanda eſt ſententia, antiquitates Eccleſiaſticas quaſi in extremo ſcientiae Theologicae poſitas, non autem in ipſo illius quaſi ſinu comprehenſas, neque illis, quae Theologum conſtituunt, ſed quae iuuant, rebus annumerandas eſſe. Quamuis enim et hoc commendando earum ſtudio ſufficeret, Theologi tamen, magnam eruditionis partem inde haurientis, praeſtantiam non ſatis declarat, quippe quae tum demum patet, ſi Antiquitates iſtas, in ipſas ſanctioris doctrinae partes, quas qui tenent, Theologi appellantur, ingredi aſſeramus. Id vero eo rectius tutiusque fieri poteſt, quo magis illa ipſa, quae dogmata Chriſtiana enucleat confirmatque, Theologiae pars, antiquitatibus Eccleſiaſticis, multis in locis, reſplendet. Eſt enim rerum, in diuinioribus literis propoſitarum, ea ratio, vt, quamuis perennis iſtis, nulloque modo immutanda, conſtet veritas, variis tamen non ſolum verborum phraſiumque quaſi inuolucris includi, ſed multis

etiam

etiam nouis, inde profluentibus, ſententiis augeri poſſint. Gaudet praeterea ſanctior coetus facultate, haud vſitatas voces ſententiasque formandi, non quidem noua ſpargentes dogmata, ſed, ſeruandae puriori doctrinae, dignoſcendisque hoſtibus a ſociis, ſcite accommodatas. Fuit hic antiquioris Eccleſiae mos, multa, non iisdem verbis, in ſacro Codice tradita, Theologiae ſyſtemati inferentis, quod ea, aut veritates diuinas intellectu reddere faciliores, aut agnoſcendis religionis hoſtibus, ſique latere velint, in lucem protrahendis, inſervire, crederentur. Haec itaque priſcae diligentiae prudentiaeque Chriſtianae monumenta, eadem fiducia, Theologus, muneris ſui minime negligens, in antiquitatum Eccleſiaſticarum theſauris reponit, qua alioquin, aut ſigna bellica, priſco aevo adhibita, aut quamcunque rem, quam vitae hominum vſui fuiſſe conſtat, non aſſeruamus ſolum, ſed et cum quodam admirationis ſenſu, non raro, contemplamur. Quamuis non omnino eadem horum, atque illorum, ſit conditio, cum, ad huius generis antiqui-

tiquitates, ab interitu vindicandas, curioſe ſaltem, quod natura nobis dedit, ingenio trahamur, ad illas vero, hinc conquirendas, hinc poſteritati tradendas, ipſa neceſſitate quadam compellamur. Eadem enim et nunc diuina myſteria, quibus explicandis defendendisque antiqua ſtuduit eccleſia, rudibus rerum diuinarum mentibus, ſunt inſtillanda, iisdemque ſubinde, quibus illi, aduerſariis, ad producenda in aciem ſigna, hoſtibusque opponenda, excitamur. Quo pacto, tanto maior quis erit reputandus Theologus, quanto melius his, ab antiquioribus paratis, armis adiumentisque, ſeſe inſtruxerit, eoque ad tradendas, defendendasque, diuinas veritates erit aptior, quo melius, qua id olim ratione bene maleve factum ſit, ex rerum geſtarum monumentis reſciverit. Floruit quondam, et adhuc floret, altius perſpectarum, huius generis, antiquitatum Eccleſiaſticarum laude, Theologus, ſummis in Eccleſiam puriorem meritis conſpicuus, Martinus Chemnitius. Cuius viri libros, vndique laude digniſſimos, quemadmodum ob incomparabi-

parabilem dictionis perſpicuitatem, feliciſſimamque, in eruendo diuinarum literarum ſenſu, ſagacitatem, nemo veritatis paulo ſtudioſior non amauit, ſic ob ſummam, quam vbiuis ſapiunt, rerum in primaeva Eccleſia geſtarum, ſcientiam, eruditiſſimus quisque, nunquam in honore non habuit. Ita, per quaeuis ſanctiorum dogmatum capita, conſtitutam ab Eccleſia doctrinae formam, ex purioribus antiquitatis fontibus, deriuat deducitque, vt non aliis narrata, ſed a ſe ipſo viſa auditaque, referre videatur. Huic potiſſimum viro, iſte, qui hodienum Eccleſiae patribus conſtat honor, ab his acceptus referendus eſt. Quam multas enim inanes menteque caſſas, quales diſputantium feruor haud raro genuit, voces ab ipſis adhibitas crederemus, niſi, quo loco, quoque fine, inductae in Eccleſiam, quamque id prudenter pieque factum fuerit, Chemnitius noſter, non alieno, ſed ſuo, antiquitatis tamen teſtimoniis ſubnixo, iudicio ſtare ſolitus, commonſtraſſet. Quam multa incommode parumque ſapienti conſilio ſuſcepta ac geſta ab

iis putarentur, niſi praeſtantiſſimus hic veritatis vindex, eadem, non ſolum non incommode, ſed et optime opportuneque facta fuiſſe, admotis hiſtoriarum luminibus, oſtendiſſet. Quam denique praeclaris defendendae veritatis inſtrumentis, ac velut armis, careremus, ſi non ab eodem, quibus obſita diu latuerant, ſordibus purgata, priſtinoque ſplendori reddita, fuiſſent. Ita, ex antiquitatum Chriſtianarum ſtudio, ſummam gloriam ſummus Theologus, non quaeſiuit, ſed aliud agendo conſequutus eſt. Liceat mihi, Vir ſumme Venerande, a Chemnitio ad Te reuertenti, Theologum doctiſſimum doctiſſimo, optimum optimo, hoc eſt, Te illi comparare. Fuit iſte in perſcrutandis illuſtrandisque antiquioris Eccleſiae rebus plurimum verſatus, ita vt, nemini ſecundus, plurimos etiam ſuperauerit. Optimus hac in eruditionis Theologicae parte eſſe potuit, etiamſi Te non ſuperauerit. Ea enim eſt ingenii Tui praeſtantia, vt omnes, quae alios, ad ſumma tendentes, morantur, difficultates facillime vincas,

neque

neque vel rerum multitudine, vel obſcuritate, vel diuerſitate, ne vlterius progrediaris, obicem Tibi poni ſinas, vt potius omnia, hinc optimae memoriae vi comprehendas, hinc acumine ſingulari perſpicias, hinc iudicio acerrimo velut in ordinem poteſtatemque Tuam redigas. Nec, ſine feliciſſimo, noſtris rebus bene proſpicientis naturae, inſtinctu, fauſtiſſimoque cultioribus literis omine, inde ab ineunte aetate, animum ad antiquitatum Eccleſiaſticarum ſtudia applicuiſſe videris; illa, ne qua earum, quas Tibi largiſſime dederat, animi virium, non ſatis tentata atque exercitata, relinqueretur, ad difficillima perſequenda Te ſtimulando, mature cavente: hoc vero talem orbi erudito, inprimisque rerum antiquarum cognitioni intento, virum portendente, qualem earum rerum infinita copia, difficilesque aditu origines, et poſtulant, et promerentur. Reddidit Chemnitius, Eccleſiae primaevae doctoribus, honorem ipſis debitum, multaque, bene praeclareque ab iis facta, ab iniuriis vindicauit, eaque in re melius de iisdem meri-

tus

tus eſt, quam qui, ſummam iſtis autoritatem conciliaturi, totis veluti fabularum plauſtris, hiſtoriam antiquam imprudenter onerant, eoque id ipſum, quod in veris eorum laudibus poterat reponi, ſuſpectum reddunt. Satius nempe perſpicaciſſimus iſte vir ducebat, ex dignitate rerum geſtarum, illorum qui geſſerant, dignitatem ſtabilire, quam ex hac, temere admiſſa, aut conficta, praeſtantiam rerum geſtarum inferre. Id quidem in laudibus Chemnitii commemoratur. Tibi vero, Vir ſumme venerabilis, redditae abs Te, Sixto ſecundo, ſimulque luculentiſſime illuſtratae ſententiae, vtriusque coetus, et purioris, et Pontificiis ſacris addicti, imo doctorum omnium, plauſum venerationemque ſummo iure conciliarunt. Vno hoc Tui ingenii monumento ita omnes in Tui admirationem rapuiſti, vt Tibi principem, inter rerum antiquarum Eccleſiaſticarumque peritos, locum quilibet facile concedat. Quemadmodum enim in hoc libro, nihil non praeclare, appoſite, ornateque, dixiſti, ita inprimis, et lectionis

Tuae

Tuae inexhauſtam copiam, et in maxima rerum varietate pulcherrimum ordinem, et Tuam, ex vltimis principiis omnia repetendi, deducendique, conſuetudinem tam apte adhibuiſti, vt, neque rerum mira varietate Te confundi, nec amplitudine difficultateque propoſiti operis defatigari, neque imbecillium rationum ſpecioſis formis decipi poſſe, intelligeremus. Minime expeditum ſuſcepiſti negotium, ſententias, a doctis viris Sixto ereptas, eidem reddendi. Totam enim Chriſtianae religionis antiquitatem, antiquiorisque Eccleſiae plerasque ſententias, in numerato, ac velut in conſpectu oculorum poſitas, habere debuiſti, eas non profani, quod multis videbatur, ſed Chriſtiani, hominis eſſe, non probabili coniectura aſſerturus, ſed certis argumentis euicturus. Tanto itaque maiorem eo ex opere gloriam reportaſti, quanto difficilius impeditiusque id fuit, quod confeciſti. Vel hoc viveres ſcripto, nominique Tuo aeternam paraſſes gloriam, etſi vel interirent reliqua Tua, huius haud diſſimilia, ſcripta, vel nouis etiam gloriam Tuam a mortalitate obliuionisque iniuria

iuria minime aſſeruiſſes. Poteras iamiam, id quod metam praefixam aſſequuti ſolent, a continuis laboribus, ferventeque, ſpatium conficiendi propoſitum, ardore, vel ceſſare, vel ad minimum quodammodo reſpirare, literisque remiſſius operam dare, ſi gloriae comparandae cauſſa laboraſſes. Tantum vero abeſt, vt ab illa iam inveterata diligentia deſiſtas, vt maiora etiam ac difficiliora, ab eo, quo iſta perfeciſti, tempore Tibi ſumſeris perficienda, certiſſimo indicio, Te, in iſto negotio expediendo, non tam Tui, quam reipublicae literatae rationem habuiſſe. Tuam certe gloriam non demum explebis, ſed veluti cumulum eidem addes, eruditorum vero ſitim accendes magis, quam reſtingues, Eccleſiae Theſſalonicenſis, hymnorumque et hymnographorum, abs Te exaratam, hiſtoriam, eamque tum vaſtitate, tum argumenti dignitate maxime conſpicuam, editurus. Tanta enim iam, cultioris ingenii viri, cupiditate hunc Tui ingenii foetum expectant, ſibique in manus tradi cupiunt, quantum, eum priſtinorum haud diſſimilem fore, perſuaſum habent.

Multum

Multum in Theologo ſcientia valet, neſcio tamen, an tantundem, vel etiam plus, quae cum iſta coniuncta eſſe debet, prudentia. Formandi ſunt hominum, in deteriora nullo non tempore proclivium, animi, et in melius mutandi: ſeruanda eſt doctrinae puritas, ſolliciteque cuſtodienda: ſe ipſe ita moderari debet Theologus, vt, ſi ad eius ſe exemplum componant auditores, eum ſuae in iſtis expreſſae formae minime pudeat. Prudentia hic non vna, ſed multiplici, opus eſt. Caueat Theologus, ne forte mollius vitia tractando foueat, acrius reprehendendo confirmet: ne errores, intempeſtiue arguendo, diſſeminet, tacendo, latius ſerpere ſinat: ne aut oues ad ſuos magis, quam Chriſti, mores adiungat, aut ſuos, vt ad imitandum non propoſitos, negligat. Duplici, iſta prudentia, ratione comparatur, quarum una regulis, altera exemplis continetur. Etſi vero iſtarum in conuincendis mentibus praeclarus vſus ſit; haec tamen, neſcio, qua ratione, multo facilius nos ad ſuam ſimilitudinem effingunt, ac ſuo veluti colore imbuunt: maxime, cum lubentius aliorum feliciter facta imitari, quam primi aliis, noſtro periculo, exemplo eſſe plerumque velimus. Comparat igitur ſibi Theologus, honoris bonaeque conſcientiae, inter obiectos offenſio-

num ſcopulos, naufragium non facturus, exemplorum ex antiquitate Eccleſiaſtica copiam, quidque, ſi in dubia inciderit negotia, potiſſimum agendum ſit, ex antiquioris Eccleſiae antiſtitibus quaerendo velut addiſcit. Nunquam mihi, Vir ſumme Reuerende perſuadebo, illa, quae in Eccleſiae Chriſtianae rebus geſtis continentur, huius generis exempla, perſpicaciſſimos Tuos oculos, ea licet non quaerentes, effugere potuiſſe, aut Te ſapientiae minus, quam doctrinae, ex diffuſisſima Tua librorum lectione hauſiſſe. Leuioris id ingenii eſt, vnum ſaltem agere poſſe, et dum doctrina colligitur, aut prudentiae oblata adiumenta non videre, aut, dum huic proſpicitur, illam curare ſimul non poſſe. Longe autem vltra hanc humilitatem erectum ingenium nactus es, et multis efficiendis par, vt, eadem nempe legendo, et theſaurum eruditionis augere, et animum prudentiae regulis inſtruere, et argumenti iucunditate animum oblectare, ſimul poſſis. Tanta etiam cum dignitate, in ampliſſima celeberrimaque ciuitate, munus grauiſſimum, per tot annos, ſuſtinuiſti, et ita ſummos, medios, infimos Tibi conciliaſti, eorumque hinc amorem, hinc venerationem atque obſequium, meritus es, vt ad prudentiſſimorum Eccleſiae antiſtitum exempla,

non

non forte Tibi oblata, ſed ſtudio quaeſita et iudicio lecta, Te compoſuiſſe videaris. Multum Seneca emolumenti ex antiquiorum Philoſophorum, Ariſtotelis et Theophraſti, familiaritate illorum lectoribus ſpondet. „Quae „illum, inquit, felicitas, quam pulchra ſene-„ctus manet, qui ſe in horum clientelam con-„tulit? habebit, cum quibus de minimis ma-„ximisque rebus deliberet, quos de ſe quoti-„die conſulat, a quibus audiat verum ſine con-„tumelia, laudetur ſine adulatione, ad quo-„rum ſe ſimilitudinem effingat.„ Tu vero, Vir ſumme venerabilis, etſi horum vſu non caruiſti, familiariſſimos tamen habere voluiſti grauiſſimos iſtos prudentiae magiſtros, antiquioris Eccleſiae doctores. Hos potiſſimum nulla occaſione non conſuluiſti. Ad horum ſimilitudinem Te effinxiſti. Aſſumſiſti in virtutum Tuarum familiam, eloquentiam Chryſoſtomi, diligentiam Origenis, antiquitatis ſtudium Epiphanii, amorem accepti gregis Baſilii, grauitatem omnium, et quaecunque ſingulos virtus antiquitati venerabiles reddidiſſe, inprimis fertur. Ad horum ſpectatiſſimos mores feliciſſime Tuos formaſti, eoque melius id feciſti, quo accuratius illos perſpectos habuiſti. Reddidit itaque Tibi, aſſiduum antiquitatis ſtudium, iſtud decus,

quod et iſtis, a quibus ſumſiſti, et Tibi, immortalem gloriam hinc praeſtitit, hinc praeſtandam pollicetur. Ego vero, quo praeſtantioris in Te, Vir ſumme venerabilis, Theologi imaginem cerno, eo impenſius tum de quauis felicitate, a ſummo Numine Tibi conceſſa, tum inprimis de iſto honoris Theologici, quem recens conſequutus es, gradu laetor, et vt illam perennem, nulloque modo turbatam, ſic hunc fauſtum fortunatumque Tibi euenire, toto pectore precor. Viuas, diuina ſuſtentatus gratia, quam diutiſſime, viuendoque multis, quorum iniuria temporum exſtinxit memoriam, vitam redde. Fruere per plurima luſtra illa, quam rerum multarum, bene praeclareque geſtarum, recordatio parit, voluptate, eaque ineuntis ſenectutis moleſtias emollias. Sis ad ſeram usque aetatem Eccleſiae, erudito orbi, patriae, Lipſiaeque Tuae, id quod hactenus fuiſti, incomparabili ornamento. Serues, per plurimorum annorum ſpatia, illum, qui abs Te demanauit, familiae Tuae ſplendorem. Me autem Tuo patrocinio fauoreque complecti nunquam dedigneris. Scrib. Vitebergae ipſis Calend. Oct.

A. R. S. cIↃ IↃ CCXXXIV.

CON-

CONSOLATIO

AD

VIRVM

PLVRIME REVERENDVM

IVSTVM CHRISTIANVM THORSCHMIDIVM

PAST. ANNABVRG.

Digitized by Google

* * *

QVantam, Vir plurimum reuerende ampliſſimeque, oculis Tuis caliginem, quantumque pectori Tuo luctum deſideratiſſimae coniugis, Dorotheae Eliſabethae, mors offuderit, ex meo, quo tantae calamitatis nuncium excepi, moerore, quodammodo coniicio. Qui enim Tuam, hoc eſt, cognati atque amici plurimum colendi, domum, grauiter nunc concuſſam, niſi perturbatus, ſpectare non poſſum, quo demum animo Te eſſe putem, quem triſtiſſimo caſu, non tactum, ſed plane obrutum, video. Etiamſi vero vulnus, quod inflictum Tibi luges, non totum mihi pateat, ita tamen amore Tui commoueor, vt illi, cum medelam non poſſim, leuamentum tamen aliquod, afferre vehementer cupiam. Hoc praeterea libramento, officia, quorum bonus ratiocinator quisque, auctore Tullio, eſſe debet, fortunarum noſtrarum hinc ſtatoribus, hinc amicis, diuidenda eſſe puto, vt iſtis florentibus potiſſimum rebus, adclama-

tione et obſequio, horum vero temporibus maxime inſeruiamus. Altiori quippe in faſtigio conſtitutis ſi quid grauius accidat, ipſa luctus conſcientia non multum a fragilitatis, ſortisque humanae, exprobratione abeſt, amicis vero laborantibus quo enixius opem ferre conamur, eo rectius pietatis officia implemus. Cui quidem aequiſſimae naturae legi, optimaeque meae voluntati vt par mihi facultas data eſſet, quo magis cupio, eo minus virium ingenio meo, huic rei quamuis valde intento, ineſſe ſentio, quae ad leuandam mentem Tuam, penitus proſtratam, aliquod momentum habeant. Iamiam enim huius, quam inſtituo, epiſtolae me ſuppudet, quae ab eodem, quo pleraeque huius generis omnes, exordio decurrens, magnitudinem calamitatis Tuae commemorare coepit. Quaſi vero, quo plus perdidimus, eo minus dolendum ſit, aut luctus per ipſam mali atrocitatem imminui queat. Idem ſcilicet, ni fallor, in amicorum dolore, quod in ſubita cuiusque mali vel ſuſpicione, vel ſenſu, nobis contingit, vt nimium noſtrum ſtudi-

ſtudium, conſiliique inopia, in maius euadat malum. Quid enim triſtitiam magis accendere, quidue palpebras, ad lacrymas largiter fundendas, facilius ciere poteſt, quam ſi toti in malorum noſtrorum comtemplationem, incauta amicorum commonefactione, immergamur. Neque tamen, ſi omnia recte circumſpiciamus, alia, ad placandam mentem dolore ſtimulatam, via nobis patet. Nempe ſi quem triſtori caſu afflictum conſolari cupias, id maxime tibi opera danda eſt, vt fidem orationi facias, ne vel fallere dolorem, vel in re ſeria ludere, videare: quod, qua quaeſo ratione, conſequeris, niſi ex lugentis potius, quam tuo, ſenſu doloris cauſas aeſtimare, hasque veriſſimas grauiſſimasque te reputare oſtendas? Ergo cum ſolatia, vehementioris demum doloris pretio, redimere, non conſuetudo, aut noſtra inertia, ſed doloris natura, nos iubeat, non eſt quod me ſermonis, quem pertexere coepi, poeniteat, quin id nunc ago, Vir plurimum reuerende, vt pientiſſimo moerore pectus Tuum confici,

non tantum ſentias, ſed etiam meo, ſi quid apud Te valet, iudicio cognoſcas.

Tantam rebus Tuis cladem primus huius anni dies attulit, vt eius damnum in omnia vitae Tuae, quam poſthac acturus es, momenta dimanet. Habuiſti ad illum infauſtum vsque Tibi diem, vxorem piam, caſtam, Tuisque rebus, ac conſiliis, ita obtemperantem, vt hanc fortunarum vitaeque ſociam, etſi prudenter quaeſitam et lectam, nutu tamen potius diuino Tibi oblatam putem. Vixeras ab anno huius ſeculi octauo ad vigeſimum ſecundum vsque in Academiae Vitembergenſis luce, et ita quidem vixeras, vt, poſt paucos annos clariſſimos doctores audiendo conſumptos, reliquos omnes academicam docendo iuuentutem transegeris. Cuius temporis memoriam Tibi etiamnum non ſolum iucundam, ſed et ſacram, eſſe ſcio, quippe quod totum literarum tum ſanctiorum, tum elegantiorum, ſtudiis vacauit, nec vlla ſui parte diligentiae aut laude, aut fructu, caruit. Si quae

quae enim Tibi a praelectionibus, quas certatim philoſophiae ac humaniorum literarum cultores expetebant, vacuae relinquebantur horae, his aut elegans quoddam ingenii monumentum excudebas, aut in publicis eruditorum conflictibus decertabas, aut poſt vſui futuras doctrinas aſſidua lectione colligebas, ſingula denique momenta ita diuiſa habebas, vt nullum inane, aut otioſum, elaberetur. Ex illuſtri hac, ad quam exornandam natus videbaris, ſcena, in alium, illumque ſanctiſſimum, ordinem tranſire a Maecenatibus iuſſus, Plotzcouiae Magdeburgenſium, ſacrorum procurationem, confirmato ad hanc rem animo, ſuſcepiſti. Quem locum, collapſo, quo olim claruit, coenobio, paucis, niſi vicinis, notum eo fine Tibi obtigiſſe crediderim, vt, quam monialium quondam diſciplina meruit, famam, nunc Tui ingenii viribus tueretur. Quas enim, edax vetuſtas rerum, tabulas in Tua tempora ſeruauerat, quasue lapidibus inciſas ſcripturas tempeſtatum vis nondum exederat, has Tu, collectis in vnum corpus

corpus *Antiquitatibus Plocenſibus*, ab interitu in omne aeuum vindicaſti. Cum igitur is eſſes, qui in obſcuritate, in quam delapſus eras, facilius literarum lumen, quam in ſolitudine rurali contubernium, Tua perſona dignum, inuenires, quam bene Tecum agebatur, quod in vicina Anhaltinorum vrbe, Serueſtae ſcilicet, foeminam offenderis, quae fortunas Tuas ſequutura, illas etiam, quibus tunc vtebare, non mediocriter leuaret. Nominanda hic iterum mihi eſt, DOROTHEA ELISABETHA, thori Tui ab eo tempore ſuauiſſima ſocia, omnibus, quas Tu quidem in vxore deſideraſres, dotibus inſtructiſſima. Patre enim atque auo, DIETERICIIS, illo quidem Paſtore Radenſi, hoc vero Paſtore primum Elyſtrenſi, poſt Kurtzlipsdorffenſi, maternum vero ſi ſpectes genus, Balduini, primae magnitudinis Theologi, propagine oriunda, eos natales habuit, qui futuram miniſtri eccleſiae coniugem non minus ornent, quam morum, qui eius perſonam decent, grauiter admoneant. Matris vero familias

milias officiis quemadmodum, in domum Tuam adſcita, defunctura eſſet, de vitae anteactae fama coniectabas. Coniugii enim ancipitem fortunam, grauiſſimasque viduitatis moleſtias, bis iam experta, nihil, quod vel leuitatis, vel impotentis animi, ſuſpicionem moueret, commiſerat, in aduerſis contra, ſecundisque rebus magnam modeſtiam, ſummumque virtutis ſtudium, prae ſe tulerat. Haec tum amicorum ſermonibus ad Te perlata ita credidiſti, vt omnes, quos poſthac vixiſti, dies certiſſimos eius rei indices habueris. Cum enim multa, ac varia, pro rerum Tuarum ſtatu, munia vxori Tuae eſſent obeunda, ſingula ea diligentia tamque fortiter ſuſtinuit, vt in exemplum matrumfamilias ponenda videatur. In Te quidem maritum, ac patremfamilias, quanta commoda contulerit, Tu facilius memoria, quam quisquam apta narratione, complecteris. Hae ipſius artes erant: Te obſequioſe colere, Te ex laboribus languentem ſuaui colloquio recreare, rebus aduerſis depreſſum ſolatio erigere,

gere, literarum ſtudiis obnoxium variis officiis adiuuare, taedia rerum domeſticarum a Te ſummota in ſe transferre, Tibi denique non niſi illas curas relinquere, quae patrisfamilias autoritate dignius faciliusque tolerantur. Interea vero, cum Tu fideliſſimae, prudentiſſimaeque coniugis fructus perciperes, liberi Tui indulgentis matris felicitatem experiundo cognouerunt. Duobus enim filiis domum Tuam illa auxit, quorum non magis dulce gnatorum nomen, quam ingenium, iam in paruulis elucens, parentum amorem, ſtudiumque, incitare potuerunt. In vtroque igitur alendo, fingendoque, ſedula coniugis, ac conſentiens, opera Tibi praeſto fuit, quae tum maxime apparuit, cum, aetatem propter et hanc fere praecurrentem puerorum doctrinam, ex domeſtica diſciplina, in ampliorem ſcholam, tanquam in vberius ſolum, transferendi eſſent. Ex quo enim tempore alterum, VRBANVM GOTTLOB, Electorali Grimmenſi, alterum vero, IVSTVM FRIDERICVM, celebri Dresdenſium

ſcholae

ſcholae expoliendum tradidiſti, nihil illa reliqui fecit, quod ad gnatorum ſalutem, ac commoda, pertineret. Deduxit filios, reduxitque, resque in iſta aetate ad vitam ſuſtentandam neceſſarias congeſſit ac praeſens ſubinde ordinauit, quin et deuotis precibus Tua conſilia filiorumque induſtriam mirum in modum adiuuit. Ita vero factum eſt, vt multa, ex gnatorum fortunis, voluptas in vtrumque Veſtrum mox redundaret. Maiorem, quippe natum VRBANVM GOTTLOB ſub Ampliſſimi ac formandorum ingeniorum peritiſſimi Viri, SCHVMACHERI, diſciplina, doctrina ac moribus ita per quadriennium exculcum eſſe audio, vt nuper, oratione valedictoria multa cum laude habita, a ſumme Venerando Praeſule, MEZLERO, Reuerendoque miniſterio, et inclyto Collegio Profeſſorum, piis votis cumulatus, Tibi, vel potius Lipſienſibus Muſis, redditus ſit. Haud abſimili fortuna vſus filius Tuus natu minor IVSTVS FRIDERICVS, qui ex celeberrimi SCHOETTGENII, in quo

omnem

omnem Graecarum atque Hebraicarum literarum notitiam, felici connubio iunctam, omnes mirantur, clariſſimique CREYSIGII doctiſſima inſtitutione, eo magis exaſciatum ingenium haud dubie retulit, quo cupidius ſua ſponte ad magnam eruditionem ferri mihi ſemper viſus eſt. Haec autem filiorum commodis ita inſeruiens mater potuitne vnicae filiae, CHRISTIANAE FRIDERICAE, ad optimam quamque ſpem educandae, vlla in re deeſſe? hanc potius, quis non credat, eo impenſius ſibi formandam, virtutibusque imbuendam ſumſiſſe, quo arctius filiae vel virtutes, vel vitia, cum matris laude, opprobrioue, coniuncta ſunt. Sui igitur nulla in re diſſimilis, in virgine exornanda ita mater elaborauit, vt, quisquis poſthac domum Tuam inuiſet, maternae diligentiae, atque indolis, expreſſam imaginem in illa conſpiciat. Hos beatae DOROTHEAE Tuae mores, cum in ſe praeclaros, tum eo elegantiores deprehendo, quo exactius cum vitae Tuae legibus conſpirant. Cum enim nihil, quod vanita-

tem

tem ſapiat, nihil quod ſapientiae et grauitati repugnet, appetas, quam exoptatiorem vitae ſociam nanciſci poſſes, atque eam, quae rem familiarem bene conſtitutam ingens laborum ſuorum praemium reputet, nec alias, quam recte, beneque, agendi voluptates requirat? Sed conuerſo eheu! domus Tuae felici ſtatu, Tibi pro optima coniuge ſubito funus: liberis pro ſolertiſſima matre funus: familiae pro nutrice liberali funus, obtigit. Nuper enim ex pio itinere, quo Vrbani Tui ex ſchola diſceſſum adiuuit, redux facta, proſtratas repente corporis vires ſenſit, Teque pariter atque liberos ſuos in maximum ſtuporem, periculi magnitudine, coniecit: neque tamen diu incertos vos, metumque inter ac ſpem dubios, haerere ſiuit, cum ſubita, paucos poſt dies, beatiſſima tamen ac placida mors, illi quidem intra LIII. aetatis annum viuendi finem, Veſtri vero acerbiſſimi doloris initium, fecerit.

Forte iam intelligis, Vir plurimum Reuerende, me non errore quodam inductum,

aut luctus Tui ignarum, ad ſolatia turbatae menti Tuae praebenda exſurgere, ſed, circumſpectis ante rebus, leuandi doloris Tui officium in me ſuſcipere. Neque illud etiam ignoro, nouo quemadmodum vulnere incuſſo, vetera ſaepe recrudeſcunt, ita nos, ex quacunque parte fortunae noſtrae quasſentur, non praeſentium magis, quam praeteritorum, malorum ſenſu conuelli. Nec temere ſuſpicor, Te, omnium moerentium more, totam hanc accuſare vitam, Teque, ex iſto peplo, nihil niſi acerbi luctus cauſas in rebus humanis conſpicere. Antiquum ſane eſt, quo res humanae ab afflictis proſcinduntur, conuitium: male agi cum hominibus, vitaeque mortalium tot aduerſas res innexas eſſe, vt ipſa, quam nonnunquam experimur, felicitas, non niſi quaedam malorum remiſſio reputanda ſit. Qua ſiue opinione, ſiue errore, toties implicamur, quoties à calamitatibus, ſeueris ſcilicet monitoribus, ad rationes totius vitae ſubducendas adigimur. Leniori tamen forte vocabulo vſus ſum, opinionem dicens, qui furor potius,

tius, ob ſummam, ad diſturbandam animi tranquillitatem, vim, appellandus eſt. Inſidet igitur in mente perculſa iſte ordini rerum maledicendi furor, in ipſum rerum auctorem, niſi ſolatiis ſufflaminetur, nefarium impetum facturus. Sed in Te quidem, ab ineunte aetate et philoſophicis, et ſanctioribus, praeceptis inſtructo, vis illa minus metuenda eſt, quae non niſi in rudioribus, aut diuturno voluptatum ſenſu fractis, animis tota erumpere poteſt. Tuae igitur mentis ſtatum ſic cogitando fingo, vt potius illa languere, quam affectibus efferueſcere mihi videatur. Quia vero infelici quadam inter ſe copula morbi ita coniunguntur, vt a leuiori ad grauiſſimum facilis ſit tranſitus, animus cuiuscunque triſtitiae morbo decumbens, fomentis tamen, a grauiori malo praemuniendus, et, ad fortitudinem recuperandam, mature alleuandus eſt. Innitere igitur, Vir plurimum Reuerende, ſenſim paulatimque illis doctrinis, quibus priſci ſapientiae antiſtites infirmum animum fulcire non ſui tantum ſeculi, ſed futuri quoque aeui,

homines docuerunt. Multo enim Te literatiorem eſſe ſcio, quam vt doctiſſima Philoſophorum, ad compeſcendos animorum fluctus, monita, aut ad ineptias, quod e plebe homines, aut ad ſuperſtitionem, quod ipſi ſuperſtitioſi faciunt, reiicias. Sed iſtis forte adminiculis ne quidem opus habes, cum magna muneris ac ſcientiae Tuae pars ſit mentes quocunque, aut quantocunque, onere depreſſas ſanctiori, et ad cuiusque mali ingenium accommodato, ſolatio erigere; cuius diuturno vſu non potes non id eſſe conſecutus, vt, quibus inſtrumentis cuiuslibet calamitatis aculei retundendi ſint, exacte calleas. Nollem igitur iſta, quae inter quotidiana negotia Tibi non ſolum in memoriam reuocanda, ſed et vrgenda, omnique modo confirmanda ſunt, aduerſus triſtitiae ſenſum argumenta commemorare, ſatis habiturus, ſi ea, quae in Te, domoque Tua, latent ſolatia, mea opera cognoueris. Quippe Tu quidem domum Tuam nunc, vt orbatam, horres, quae mihi, etiamnum ſalua quodammodo, atque integra, videtur.

Etſi

Etſi enim larga voluptatis materies, quod negare non audeo, erepta Tibi ſit, nouam tamen, et quidem largiſſimam, aliunde accreſcentem, conſpicio. Aſſurgunt indies ad maiorem virtutis, doctrinaeque, laudem filii Tui, quorum vultus, mores, et ipſa ad quam Tua induſtria formati ſunt, ſpes, Te, quoties voles, recreabit. Hos enim, qui in paterna domo, antequam ex ephebis excederent, Latinas, Graecas, atque Hebraicas literas celeriter arripuerunt, quantam putas, et quam variam, doctrinam ex iſta literarum mercatura, quae in Academiis exercetur, reportaturos eſſe, ad quam tractandam ingenium, multo vſu iam ſubactum, afferunt. Simillimam, ſcito, moribus Tuis vitam illos poſthac acturos eſſe, hoc eſt, negotioſiſſimam, totamque comparandis doctrinae opibus intentam, vt ſi, quid hic, quid alter, abſens vterque, diſſitis in locis, nunc agat, coniectura aſſequi velis, Tibi, quid ipſe ea aetate egregium, laudeque dignum, feceris, in memoriam reuocandum ſit. Patris igitur felicitate, quatenus a filiorum laude pen-

det, haud dubie flores, cui eximius, ex dotibus venuſtiſſimae virginis, FRIDERICAE Tuae, cumulus accedit. Videre illam mihi videor, quomodo nunc rem familiarem ordinet, nunc Te laboribus attritum, paratis ad curam debilioris corporis rebus, foueat, nunc Te multam in noctem libris affixum circumſtet, membranamque, quam velis, reddat atque accipiat. Neque enim Muſei Tui aut leges, aut opes ignoro, quas tam varias tamque amplas habes, vt hoſpitio a Te exceptus in doctiſſimo ſodalitio verſari mihi viſus fuerim, praeſertim cum Tu, prudentis diſpenſatoris inſtar, quicquid ſuppellex Tua libraria doctrinae continet, et in promptu habeas, et, prouti confabulationis ſeries poſtulat, magna cum gratia et ſuauitate expromas. Neque domui Tuae quicquam, praeterquam coetus, deeſſe videtur, quin omnigenae eruditionis ſcholam referat. Haec igitur, prouti a Te inſtructa eſt, domus, non poteſt non, abſente licet exſtinctaque familiae matre, iucundam Tibi, ſolatiique plenam, habitationem praebere, cum illam

illam ſui partem ſartam, tectamque, habeat, ex cuius vſu maximam ſemper voluptatem percepiſti. Quod ſi tamen triſti adhuc Tibi, ipſa ſuppellex Tua morti herae, vt Poëtae montes ac ſiluae morti Daphnidis, ingemiſcere, et propterea ad depellendam triſtitiam minus apta videtur, aduertas quaeſo animum ad gregem Tuum, eiusque in amore cultuque, quo Te proſequitur, integras, laetasque res Tuas conſpice. Sic autem vniuerſum, cuius ſacris praees, coetum de Te iudicare ſcio, vt alii doctrinam Tuam mirentur, alii in defungendo officio ſanctitatem venerentur, omnes autem talem ſacrorum antiſtitem ſibi ſuisque gratulentur. Ita vero fidelis Eccleſiae paſtor de rebus ſuis ſtatuit, vt, ſi pietatem ſua opera latius ſpargi, ſi miniſterii ſui fructus ad maturitatem perduci videat, ſi ſuorum denique amorem ac magnam de ſe exiſtimationem, non blandimentis, ſed induſtria et grauitate, meritam, confirmari ſentiat, nihil ſibi ad ſummam felicitatem deeſſe credat. Vides, Vir plurimum Reuerende, quibus

ſolatiis Te erigendum putem, praeſentibus ſcilicet, certis, magnis etiam et a vanitate alienis, iis denique, quorum vim animus Tuus, veri rectique aequus aeſtimator, perſentiſcat neceſſe eſt; quibus nunc preces ac vota pro Tua incolumitate, Tuorumque ſalute, ampliſſima adderem, niſi illi me amico ſcribere meminiſſem, qui mentem meam obſequii cultusque plenam, multis, certiſſimisque, indiciis dudum habeat exploratam. Vale! meque amare perge.

Scrib. Vitebergae, VI. Cal. Februar.

cIↃ IↃCC XLI.

EPISTO-

EPISTOLAE
AD
AVDITORES
BINAE.

GENEROSISSIMO DOMINO
DOMINO
IOANNI ADOLPHO DE PONICKAV,
EQVITI LVSATIAE SVPERIORIS
S. P. D.
IO. MARTINVS CHLADENIVS.

QVantam elegans,rectumque,ingenium vim habeat, et in praeſentibus obſequium, et in abſentibus deſiderium, excitandi, hoc vero, pauciſſimorum dierum vſu, cognoui. Te enim, Domine Generoſiſſime, quem per biennium, Academiae noſtrae Patres, iuxta atque Ciues, amarunt, et coluerunt, nunc ego, cum multis, non ſecus, ac vitae quoddam meae lumen, et decus, deſidero. Ea autem tempeſtate ex Leucorea noſtra diſcedis, qua mediocris virtus, inter tot ſplendidiſſima Nobilitatis exempla fere negligitur. Hoc ſcilicet, Schoenfeldis, Hoymis, S. R. I. Comitibus, hoc Frisis, L. B. hoc Carlowizis, Wolffersdorffis, Poikis, Eichſtaedis, totidem, Academiae noſtrae ornamentis debemus, quod, quae ſaepe ſingula mirati ſumus, Nobilitatis decora, doctrinam, induſtriam, humanitatem, nunc, niſi ſumma et coniuncta, non miremur. At tanto lubentius, illa, non ſine obſe-

obſequii declaratione compellanda, Nomina commemoro, quanto penitius virtutes, quibus elucent, inter iucunda docendi munia, ab Ipſis amantiſſime mihi impoſita, cognoui. Haec igitur, et ſi quae plura, eundem in modum formata, Academia noſtra fouet, ingenia ita Tibi deuinxiſti, vt ab omnibus inprimis et amareris, et colereris. Ego vero ſaepe, in Te intuens, ita tacitus ratiocinabar: Hem! iſte ſerenus et hilaris vultus nonne talis omnino eſt, qualis eos, qui Principis latus tegunt, decet? Iſta comitas, quo in loco, quam in Aula, quae nihil in moribus aſperum ferre poteſt, maiori cum laude ſeſe exſeret? Iſte ſibi ſemper conſtans, et tranquillus, animus, nonne dignus eſt, qui olim, in eminentioris fortunae periculis, experimentum ſui capiat? Nec temere in iſta futurae Tuae fortunae arcana inquiſiui. Ad eam enim ſpem omnes, quibus, mea opera, imbui uoluiſti, doctrinae dirigendae erant, in quam, vultus, mores, natalium dignitas, et quicquid eximii habes, conſpirare videbantur. Equidem in omni doctrina tricas, et quicquid vmbratile eſt, acerrimo odio proſequor, ſed tamen et hoc multum intereſſe puto, ad quem vitae ſtatum cuiusque ingenium erudiendum ſit. Alias enim artes animo, manibusque, verſent neceſſe eſt, qui ſcholae diſcunt, alia, qui ad negotia priuata gerenda contendunt, alia denique

nique, qui ad negotiorum publicorum procurationem appetendam, hinc exemplis maiorum, hinc dotibus ſuis, ſtimulantur. Tibi autem, quae traderentur, praecepta eo maiori iudicia ſeligenda erant, quod cauendum fuit, ne ab iſtis vnquam rationibus recederem, quas Perilluſtris atque Excellentiſſimus Parens Tuus, in excitandis virtutum igniculis, ab incunabulis in Te fulgentibus, prudentiſſime iniit: Cuius quotiescunque curas, poſt binam optimorum filiorum praematuram, luctuoſiſſimamque, iacturam, in TE iam vnice poſitas mente recolo, toties in certiſſimam ſpem adducor, fore, vt omnes, quae Parentum pietatem, prouidam ſolertiam, illuſtria denique merita, comitari ſolent, fortunae in Te copioſiſſimae redundent. Et haec votorum, quae deditiſſimum Tibi pectus meum ſpirat, ſumma eſt, vt ad illud honoris faſtigium, in tot maiorum Tuorum imaginibus conſpicuum, a benigniſſimo Numine ſuſtentatus, feliciter adſcendas, et antiquam Gentis Ponickauiae gloriam conſtanter retineas. Hoc vnum tamen ſiue votum, ſiue preces, addo, vt, in quocunque dignitatis gradu prouidentia Numinis Te teneat, me tamen beneuole reſpicias, nec vnquam Tui, quo me complexus es, amoris memoriam depónas. Vale. Viteb. XVII. Cal. Maiis cIↄ Iↄccxxxx.

GENE-

GENEROSISSIMIS ATQVE NOBILISSIMIS

DOMINIS

IOANNI AVGVSTO DE CARLOWITZ, EQVITI VARISCO. IOANNI ADOLPHO DE PONICKAV, EQVITI LVS. SVPER. IOANNI RVDOLPHO DE WOLFFERSDORFF, EQVITI SAXONI, AVGVSTO MICHAELI ZSCHERPIO, GERA-VARISCO I. V. C. IOANNI RVDOLPHO BEHMERO, WEISSAND. ANHALT. I. V. C. CHRISTIANO AVGVSTO PFEIFFERO, DRESD. SS. THEOL. CVLT. GVSTAVO GODOFREDO PACKBVSCH, STOLP. IVR. CVLT.

AVDITORIBVS SVIS

OMNI OBSEQVIO ET OBSERVANTIA COLENDIS

S. P.

M. IO. MARTINVS CHLADENIVS.

Google

HAnc, quam in vſus Veſtros comparaui, Sententiarum Leibnitianarum ſiluam, et lectoribus non iniucundam, et iis, quas molimur, Diſputationibus priuatis, ſatis accommodatam fore, non temere confido. Solent certe ea, quae multorum plauſu ex-cepta ſunt, in quamcunque poſtea formam transfundantur, aut priſtinae gratiae partem retinere, aut aliquantum incrementi, ex ipſa habitus nouitate, capeſſere. Non deerunt ergo, quibus hae ex ſcriptis Leibnitianis de-cerptae particulae nouam voluptatem crea-bunt, florum a frutice, in quo nati ſunt, auul-ſorum inſtar, qui, in ſertum coacti, non mino-rem, quam ante, pulchritudinem, & hanc ali-quando luculentius, oſtendunt. Nec tamen haec Apophthegmata conſtipando lectorum gratiam, quippe quam tenui hac opera deme-reri ne quidem potui, captaui, ſed id tantum egi, vt Vobis, Patroni ac Fautores omni obſer-uantia colendi, iuſtam colloquiorum mate-riem praeberem, cuius potiorem legem, atque dotem, hanc eſſe volui, vt impugnantibus me-ditandi, non cauillandi, neceſſitatem impone-ret, ſimulque iucundam victoriae ſpem affer-ret. Hanc vero indolem, in plerisque, quae hic Vobis exhibeo, dictis Leibnitianis depre-hendiſſe me arbitror, quarum alia popularibus opinio-

opinionibus, alia probatis a pluribus doctioribus ſententiis, vehementer repugnant, alia denique ad obſeruationum, quam dogmatum, ingenium propius accedunt, diſſenſumque haud difficulter patiuntur. Poterit igitur diſputantium vterque cauſſae ſuae confidere, cum alter aut populum, aut doctos non paucos, alter, ſi non eosdem, horum tamen, multorum iudicio, arbitrum Leibnitium, a partibus ſuis ſtare intelligat. Quo autem conſilio nonnulla Leibnitii enunciata, breuibus propoſitionibus, Scholiorum inſtar, auxerim, vix opus eſt vt moneam, cum res ipſa doceat, me, aut ambiguitatem verborum, aut intelligendi difficultatem, ea re ſuſtuliſſe, ſimulque ipſa effata exercitationibus noſtris diſputatoriis aptiora reddidiſſe. Caeterum quemadmodum hanc leuiorem opellam Veſtrae diligentiae, quam hinc collaudare, hinc adiuuare, ſummam voluptatem duco, penitus conſecratam eſſe cupio, ita me voti mei omni ex parte compotem factum iudicabo, ſi illam, tanquam obſequii mei teſſeram, Vobis non ſolum non diſplicuiſſe, ſed et Veſtram erga me hinc gratiam, hinc beneuolentiam, confirmaſſe cognouero. Scrib. Viteb. Kal. Iul. cIↃ IↃ CCXXXVIII.

ELO-

ELOGIVM
VRBANI GODOFREDI SIBERI

Digitized by Google

VIRO
SVMME REVERENDO, AMPLISSIMO DOCTISSIMO
IOHANNI CASPARO SIBERO,
SACROSANCTAE THEOLOGIAE DOCTORI MERITISSIMO, ECCLESIAE HERTZBERGENSIS PASTORI EIVSDEM DIOECESIS PRAESVLI GRAVISSIMO
AVVNCVLO MVLTA PIETATE COLENDO,
NEC NON
SEXVS SVI ORNAMENTO
CHARITATI CHLADENIAE
NATAE SIBERAE
MATRI DEVENERANDAE
OFFERT
IOHANNES MARTINVS CHLADENIVS.

QVod iam ſolum, poſt beatiſſimum tuum obitum, pietatis officium Tibi, venerande Parens, perſoluere mihi licet, vt Tuis latiſſime patentibus meritis perenne, ſi quod poſſum, monumentum ſtatuam, Tuasque virtutes aetati noſtrae, maxime vero poſteritati, ad imitandam proponam, illud hoc potiſſimum tempore exſequendum ſuſcipio, quo pectus meum ex grauiſſimo vulnere, per mortem Tuam mihi inflicto, interiecta ſcilicet longiori mora, ſenſim paullatimque conualeſcit. Quod ſi enim ipſe pictor et plaſta perſonae, quam fingit, ſimilitudinem tunc optime exprimit, cum aliquo affectu commotus vegetam eius imaginem mente atque cogitatione circumfert, in hoc certe rerum mearum ſtatu, dignos tua nominis fama, appoſitosque, ſermones proferam, cum Te, tuamque imaginem, recenti adhuc deſiderio complector. Libero tamen nullisque dolorum ſtimulis conturbato animo mihi opus eſſe intelligo, hoc, quod molior, opus aggreſſuro, cui totus incumbam neceſſe eſt, ne vel multa in iuſtiſſi-

mis tuis laudibus ponenda plane non tangam, aut leuiter tacta non ſatis lucide in lectorum oculis exponam. Videre equidem ſpiritum tuum iam coeleſtem mihi videor, quemadmodum curas meas, ſollicitamque temporis, quo iuſta tibi perſoluerem, obſeruationem ſi non rideat, blande tamen multaque cum gratia renuat, meque arreptum calamum, velut ſuperuacanea tentantem, deponere iubeat. Satis, inquis, ſi quid laudis recte agendo promerui, famae meae litarunt literarum Symmiſtae, meaque vota et meam de rebus meis opinionem, beneuolo ſtudio longe ſuperarunt. Ita ſcilicet viuus gloriae aucupandae tam parum cupidum te praebuiſti, vt ſi tuae voluntati obtemperandum eſſet, totum hoc de rebus tuis ſcribendi conſilium reprimere et poſſem, et deberem. Liceat autem nunc pietati meae a ſuffragio tuo, quod a mortalium ſententiis haud dubie diſcrepans, ex priſtino tuo mortali ſtatu fingo, tantiſper diſcedere, eumque honorem, quem ego ſuperſtes tuis manibus debeo, vel inuito, ſi viueres, exſoluere. Vobis iam, Le-

ctores

ctores ſcribo, qui, quis quantusque Vrbanus Godofredus Siberus fuerit, vel ex me primum cognoſcetis, vel notam huius viri hiſtoriam, ſaepiusque eleganter ſcriptam meam nunc calamo repetitam, pro veſtro in beatum amore ac ſtudio, minime contemnetis.

Vitam Theologi ſcribendam ſuſcipio non ſubitis ſecundae aduerſaeque fortunae caſibus opimam, nec inopinatis rerum euentibus admirandam, ſed tranquillam, cuiusque in laude et felicitate haud poſtrema reputandum eſt, quod ſine cuiusque offenſione acta, nulloque ad oſtentationem compoſito facinore diſtincta, ſummorum virorum monumentis adiungi, omnium conſenſu, mereatur. Proinde nec annorum ſeriem magnopere tenendam fore praeuideo, cum ad cognoſcendos Siberi mores, quem ex omnibus, quos vixit, lubet diem inſpexiſſe ſufficiat, qui vti totus, quoad a muneris ſanctiſſimi officiis vacauit, literarum ſtudiis datus eſt, ſic omnes reliquos ſui ſimillimos, aut ſi diſcrimine quodam notandi ſint, diligentiae

induſtriaeque aemulos habuit. Quare ita meam hiſtoriam pertexendam eſſe intelligo, vt non magis ad res geſtas, quam ad rerum geſtarum fontem, Siberi animum, lectores adducam, cuius ſi vim, ſi probitatem, ſi honeſtos piosque impetus cognouerint, quid per omnem vitam egerit, et narranti mihi facile credent, et ſua quadam coniectura aſſecuturi videntur. Quod ſi enim ex vultu et reliquo corporis habitu, quae in hominem facta conueniant, ſaepe diuinamus, quanto rectius conſtare ſibi noſtram hiſtoriam iudicabis, ſi virtutes, quibus Noſter eluxit, iuxta ac virtutum radices, in ipſo illius pectore, mea opera, conſpexeris.

Cogita igitur mecum, lector, et praeſentiſſimum Tibi ſiſte hominis animum, qui quoduis doctrinae genus celeriter arripiat, arreptum conſtanter retineat, in abditas rerum cauſſas cupidiſſime inquirat, ſimilitudines rerum et inter ſe concatenationem facillime detegat, et quid in vnaquaque re ad honeſtam oblectationem veramque vtilitatem

tem idoneum ſit, promptiſſime inueniat: cogites inquam mecum iſtum animum, et ſic veram Siberianae mentis ſpeciem tibi oblatam eſſe, certiſſime perſuaſum habeas. Talem ſcilicet Siberum depingo, qualem confirmata aetate, cum ad ſenectutem iam vergeret, cumque iam totus auditoribus, amicis, ciuibus, pateret, ſeſe praebuit. Iſtam autem vitae humanae, veluti fabulae, partem, qua vitia pariter ac virtutes liberius ſe proferre et ad maturitatem peruenire ſolent, ſpectare decet, ſi propriam cuique ingenio indolem, et quid eximii habeat, cognoſcere velis. Neque tamen vulgarem morem non probo, quo clarorum virorum hiſtoriam, ab ipſis cunabulis repetitam, per triuii, per gymnaſii ludos, ac per id, quod in academiis deponitur, tyrocinium deducimus, hisque demum ſuperatis ambagibus ad maturae aetatis ſpectaculum lectores admittimus. Quemadmodum enim in plantarum hiſtoria, in quo ſolo naſcantur, quem tenellae odorem ſpirent, quibus humoribus et adminiculis fructiferae fiant, ſollicite deſcribimus, ſic quem

virum heroemque ſiſtimus hominem, eundem, qualem ſub magiſtrorum imperio et in commilitonum circulis ſeſe geſſerit, non male ſpectandum exhibemus, praeſertim ſi iam tum eximiae ſuae indolis ſpecimina dederit. Nec dubito fore nonnullos, qui Siberum, quem grauitate vndique venerandum viderunt, eundem paruulum blandum, iuuenem feruidum vidiſſe optarent; quorum deſiderio ita, quantum poſſum, ſatisfaciam, vt ſi non vultum illius, certe animum iuuenilem conſpiciant. Primam excellentis huius ingenii culturam curae habuit parens noſtri, Iuſtus Siberus, Scandauiae, oppidi Saxonici in confinio Bohemiae ſiti, ſacerdos, qui ex vxore Catharina Zinckia, felici ſedecim liberorum matre, Vrbanum hunc ſuum, anno ſuperioris ſeculi ſexageſimo nono, pridie Iduum ſuſtulit. Magnam iam tum boni patris familias laudem conſequutus erat Iuſtus, ſuamque domum multitudine librorum conſpicuam, ita conſtitutam habebat, vt quandam ingeniorum officinam ac pleniſſimum religionis ſacellum referre videretur. Vti

enim

enim ipſe humaniorum literarum, latiique inprimis ſermonis, fuit ſtudioſiſſimus, ita in eo maxime elaborauit, vt filii in hoc doctrinae genere quam citiſſime proficerent. Quam ob rem omnes temporis horas, ac tantum non momenta, filios ſuos accuratiſſime diuiſa habere voluit, ne quod, definito penſo carens, otioſum elaberetur. Tranſtulit etiam tunc Siberus, omnem, qua pollebat, vim Poeticam, quam iuuenis omni carminum genere tentauerat, ad res ſacras, tanto quidem cum ſtudio, vt quotidie aut Pſalmum aut ſacram hiſtoriam quandam hymno ſignaret, quem ſtatim liberis ſuis ediſcendum, et choro facto, ad organi ſonum, certo modo canendum, traderet. His igitur legibus, hinc ad pietatem, hinc ad doctrinam ſpectantibus, ita Vrbanus obtemperauit, vt earum ſeueritate ardorem iuuenilem, qui in ipſo inſignis inerat, exſtingui non pateretur. Eſt autem quaedam ingeniorum, in paruulis iam elucens, bonitas, tota in legibus imperioque, cui ſubiecti ſumus, recte ferendo ſita, qua ferocitatem in-

 ter

ter et torporem medii, nec obedientiam iuſte iubentibus denegamus, nec ſeruiliter obediendo libertatis et conſilii vſum plane perdimus. Digno hoc liberali ingenio temperamento, nonſolum in patria domo, ſed et in ſchola Miſenenſi Wilckiorum meritis tum illuſtri, noſter vſus eſt, ſuisque moribus id effecit, vt virtutes, quae in ipſo apparebant, non metu extortae, ſed in eo ſponte ſua natae crederentur. Retulit autem Siberus ex Miſenenſi, cui per ſexennium adhaeſit, ludo, praeter confirmatam graecae latinaeque linguae facultatem, egregiam oris facundiam, iudicii aciem, lectionis copiam, ſummamque inprimis proficiendi cupiditatem. Sic formatum filii ingenium pater eo rectius in Academiam Vitebergenſem transferendum putauit, ac tranſtulit anno octogeſimo nono, quo exquiſitioribus in omni doctrinae genere doctoribus tunc floruit, qui tum nominis fama, tum induſtriae mirandae exemplo, vel ſegniorem, nedum Vrbanum ſponte ſua currentem, incitare poſſent. Notiora ſunt lite-

rarum

rarum cultoribus ac ſanctiora nomina, Caſparis Loeſcheri, Iohannis Deutſchmanni, Io. Caſparis Neumanni, Theologorum, Chriſtophori Donati et Chriſtiani Roehrenſei, Philoſophorum, Schurtzfleiſchiorum, Polyhiſtorum, quam vt, quanta felicitas Sibero his doctoribus vtenti obtigerit, mea demonſtratione opus habeat. His autem totum ſe dedit, et, in qua quisque maxime eminebat arte, diligentiſſimum auditorem ſeſe praebuit. Crederes igitur Siberum, nullam Vitebergae doctrinam deſiderantem, et quam appetebat, ſapientiam, largiſſime propinatam haurientem, nihil vltra requirere. Secus res accidit. Noſtrum enim, cuius ingenio vti nec vulgaris eruditio, ita nec tritiſſima ab omnibus ad eruditionem via arridebat, diſſitarum prouinciarum lumina viſendi cupido occupauit, cui morem gerens, itinere ſuſcepto, primum Hamburgi ſubſtitit, Edzardi et Anckelmanni doctrina delectatus, dein Kiloniam progreſſus, Maios, Opitios, Franckios, Kortholtos, praeceptores nactus eſt. Licuit igitur Sibero illam ingenio-

geniorum diuerſitatem experiundo cognoſcere, quae viris eandem artem ſub alio coelo profitentibus ineſſe, ipſique doctrinae, quam tradunt, varias formas inducere ſolet. Et quemadmodum apes, quo latiores campos circumuolant, quoque plura florum genera delibant, eo dulciori ac fragrantiori melle fauos replent, ſic prudens animus multitudine et varietate doctorum non ſolum non turbatur, ſed potius ad proprium ſibi doctrinae typum formandum vtitur, id quod noſtro fuit facillimum, qui ad optimum quodque in exemplum ſibi ponendum ſuopte ingenio ferebatur. Iisdem haud dubie excitatus ſtimulis, Daniam ingreſſus, Hafniae et Fridericoburgi aliquot menſes transegit, quamuis generoſi Iuuenis Ahlefeldii moribus praefectus huius potius res, quam ſuas curae habuiſſe videri poſſet. In hoc fortunarum ſuarum ſtatu exſtincti parentis nuntio vehementer perculſus eſt. Obiit autem, quem auum veneror, Iuſtus Siberus anno ſuperioris ſeculi nonageſimo quinto, aetatis ſexto et ſexageſimo,

multis

multis, ob oris facundiam, doctrinam et poeticam vim, elogiis ab eruditis ornatus, magnamque Paſtoris fideliſſimi, patrisque familias prouidentiſſimi laudem poſt ſe relinquens. Funeris ſui, filios, abſente Vrbano, quatuor, filiasque ſeptem, et ex his nepotum gregem, comites habuit. Noſter collecto ex moerore animo, in patriam redeundum, Vitebergam repetendam, et in hoc illuſtri veluti emporio, literarum mercaturam ſibi faciendam, eſſe ſtatuit, quam, confecto multorum annorum tyrocinio, eximie ſe callere, tum Ordini ſapientum, a quo *Magiſtri* et *Aſſeſſoris* honoribus auctus eſt, tum caeteris Academiae patribus iuxta atque ciuibus, variis ſcriptis publicae diſquiſitioni expoſitis, probauit. Patuit autem iam tum, quo doctrinae genere Siberus inprimis delectaretur, quoue ad gloriam itinere contenderet. Qui enim noſtrum Schurtzfleiſchio conſtanter adhaerere, huius praecepta nunquam de manibus deponere, ex huius more et genio ſcripta ſua adornare videbant, quid aliud eum agere crederent,

quam

quam vt alterum olim Schurtzfleiſchium, id eſt, virum omni literatura refertiſſimum, orbi redderet. Adiunxit tamen his ſtudiis, quaſi non totum Siberum caperent, ſacrarum literarum ſtudia, eodemque tempore eloquentiae ſacrae, quam tum Neumannus certis regularum formulis comprehenſam primus tradebat, facultatem ſibi comparauit, alterutri cathedrae, prout res poſceret, aut Academicae, aut Eccleſiaſticae, aut quod poſtea euenit, vtrique operam ſuam accommodaturus. Paucis verbis trium annorum hiſtoriam complexus ſum, quos ex Dania redux, in Leucorea, futurae ſortis parum anxius, transegit, totus partim librorum lectioni, partim commilitonum inſtitutioni, partim publicis diſceptationibus, quae tum frequentiſſimae erant, intentus; vt ex hoc exemplo intelligas, quam multo, diuturno, ac vario labore animus ſubigendus ſit, quo ad diſſerendum firmus, ad docendum promtus, ad res ſacras recte gerendas idoneus, fiat.

Nihil

Nihil iam noſtro praeter autoritatem muneris et commoda deerat, quae eo ampliora merebatur, quo verecundiorem in ambiendis, ac continentiorem in fruendis, honoribus, per omnem vitam ſeſe praeſtitit. Neque in remunerandis ſuis virtutibus aduerſam fortunam habuit. Primos enim ingenii ſui admiratores nactus eſt Senatus Sneebergenſis proceres, qui, anno ſuperioris ſeculi nonageſimo octauo, collatis ſententiis, Siberum Viteberga euocatum ſcholae oppidanae praeficere, idque e ſalute et dignitate vrbis videri decernunt. Prouinciam, diuino nutu ſibi oblatam, minime ſpernendam ratus conſuetis auſpiciis adiit, iuuenumque ſtudia breui tempore ita ordinauit, vt ſummus doctoris in humaniores literas amor ex diſcipulorum moribus facile cognoſceretur. Interea vero dum adoleſcentis ſui coetus vtilitatibus inſeruit, maiora ipſe indies incrementa capit Siberus, nocturna diurnaque manu libros verſans, haecque doctrinae inſtrumenta ingenti pretio comparans, cui perſoluendo vt ſtipendium,

quod

quod merebatur, non admodum lautum, ſufficeret, prudenti, doctoque homine digna, parſimonia effecit. Non poſſum mirandae huius, quam euoluendis libris tum impendit, diligentiae documenta in ipſis voluminibus, quibus vſus eſt, paſſim exſtantia ſilentio praeterire. Titulis enim liberorum haud paucis coeptae finitaeque lectionis diem inſcripſit, vnde, ſubducta temporis ratione, Siberum libros, niſi abſoluta lectione, vix de manu depoſuiſſe, ſomno autem et prandio pauciſſima dediſſe momenta liquet. Ita integrum quinquennium, vsque ad annum huius ſeculi tertium peregit, id publica ſua priuataque induſtria conſequutus, vt totam ciuitatem ingens ab eius ore pendendi cupiditas inceſſerit, cui prudens, et ab iſto populi impetu minime diſcrepans, Senatus obtemperaturus noſtrum e ſchola ad ſanctiora templi munia, tranſtulit, quibus prima vice peragendis, Feſto Paſchatos dicti anni, ea, qua decet, pietate defunctus eſt. Sic quem paulo ante in literarum palaeſtra confirmatum ac veteranis aequiparandum vidimus,

Sibe-

Siberum, nunc toga ſacra nuper initiatum, mente et cogitatione intuemur. Praeſtantiſſimos quosdam ferunt ſacrorum noſtrorum antiſtites, tum, cum inaugurandi eſſent, horrore quodam perculſos fuiſſe, et priusquam muneris ſui ponderi adſueſcerent, grauitatem eius nonnunquam contremuiſſe. Simili pietatis affectu Siberum fuiſſe commotum, facile inducor vt credam, mecum reputans, quam acuto in momentis rerum aeſtimandis ſenſu praeditus fuerit, quem cum ad res diuinas applicuit, non potuit non vehementiſſime concitari. Haec quidem ſacri muneris ſibi demandati initia habuit, quod vt, quanta induſtria, tanta dignitate ſuſtineret, creſcentis indies doctrinae et fama, et vſu, efficere annisus eſt. Dum igitur a priſtino legendi ſtudio nihil remittit, ſcriptorum contra elegantiſſimorum numerum indies auget, latius celebrari, eruditiſſimis viris comparari, multisque magno in pretio haberi, coepit. Et Sneebergenſes quidem, ſuae de eius meritis exiſtimationis, nouum, quodue tum pro rerum ſuarum ſtatu

in promptu habebant, maximum documentum dederunt, oblata ipſi anno poſt milleſimum ſeptingenteſimum octauo Archidiaconatus munere, cuius, ſi quae noua fortunis ſuis attulit, incrementis ita vſus eſt Siberus, vt ex iis, quae magna plerumque contentioni appeti ſolent, rebus, nihil magnopere praeterquam gazam librariam cupere videretur.

Lentos ſurgentis fortunae fluctus, quos, ad annum vsque huius ſeculi decimum, Siberus expertus eſt, quantum ad integritatem hiſtoriae opus eſt, deſcripſi: de domeſtica vero induſtria, quam vltra duo luſtra in Sneebergenſi jugo exercuit, nondum ſatis dixiſſe mihi videor, qui lectores, et quid inſigni hoc temporis tractu egerit, et quo conſilio et modo egerit, intelligere cupio. Cum igitur rei hiſtoricae, maxime Eccleſiaſticae ſtudioſiſſimus eſſet, tum fontes huius doctrinae, Patrum ſcripta, Conciliorum canones, Liturgiarum formulas, gnauiter ſectandos, tum, quae a recentioribus, poſt reſtauratas literas, de variis priſcae hi-

ſtoriae partibus, copioſe ſcripta et controuerſiis diſceptata ſunt, inter ſe comparanda eſſe duxit. Ad quas res, lectione non impedita, cognoſcendas cum Graecae literaturae facultatem primas tenere partes intelligeret, hanc, quam non contemnendam dudum habuit, ſtrenua, pluribusque vicibus repetita, veterum ſcriptorum lectione confirmandam putauit. Quamobrem Platonis, Ariſtotelis, Demoſthenis, Thucydidis, Poetarum etiam Graecorum, monumenta, ſaepius licet lecta, nunquam tamen penitus neglexit, ſed interiecto tempore, veluti amicos veteri amore ſibi iunctos, identidem reuiſit. Legendi autem libros hunc modum habuit, vt in res ab autore traditas totam mentem conuerteret, id quod non tam voluntati eius et conſilio, quam naturae, tribuendum exiſtimo. Sunt enim ingenia, cuiusmodi omnis tellus innumera alit, quae nulla re, niſi praeſenti ſenſusque feriente, mouentur, caeterum, cum quid legunt, vel audiunt, nuper aut olim geſtum, quodammodoque a rebus ſuis remotum, vix quicquam praeter

verborum ſonum literarumque ductus percipiunt, res ipſas, quae ab autore traduntur, vel plane non cernunt, vel vt longinquas, ac per denſiſſimas nebulas, aſpiciunt. Sunt porro homines, qui plus virium ad animum ſcriptoris animo videndum habent, quin et valde, lectis rerum deſcriptionibus, commouentur, ſi modo Comico Tragicoue habitu incedant, aut cultioris ſermonis ſiue pulchritudine, ſiue fuco, oblinitae ſint, vt res depictae magis, quam ſcriptae, videantur. Referas huc ſtudioſos fabularum carminumque lectores, qui, tantum abeſt vt hebetes reputentur, vt potius elegantioris ingenii laudem, apud doctos animorum aeſtimatores, pridem obtineant. Aliud denique genus animorum non fingo, ſed exemplo Siberi exhibeo, qui et in rebus praeſentibus multa acute diſcernunt, et res abſentes praeteritasque, cum relatas deſcriptasque legunt, veluti praeſentes intuentur, neque orationis lumen ac Poetae colores deſiderant, ſed ex narratione quantumuis ſicca, dictioneque ſqualida, plenam delectabilemque rei imaginem

nem cogitando eruunt. Quod ſi vero omnis mentis noſtrae vis, ac praeſtantia, in apprehendendis rerum notionibus ſita eſt, eo excellentiori quemque ſpiritu gaudere neceſſe eſt, quo plenius perfectiusque res cognoſcit, etiam tunc, cum ſenſuum adiumento non firmatus, ſolo animo, res obiectas intra ſemetipſum contemplatur. Sunt autem cogitationum noſtrarum indiuiduae comites cupiditates, quae ex eo, quod in rebus pulchri iucundique, aut contra dedecoris et foeditatis ineſt, enaſcuntur, eoque vehementiores eſſe ſolent, quo magis rerum virtutibus vitiisque tangimur. Animus igitur, quo acutius ſentit, tanto crebrioribus motibus agitatur. Siſte tibi iam huiusmodi animum, aut ſi eius exemplum vis, Siberum, antiquis monumentis euoluendis intentum. Quicquid legit, coram intuetur, nunc in gentilium delubro, aut Chriſtianorum crypta ambulat, nunc variegatam ſacerdotis ſtolam, et ad conficienda ſacra ſeuerum vultum, videt, nunc Synodi rixas, et paulo poſt vno ore exploſum Anathema, audit, hisque

rebus pro ea, quam habent, vel grauitate, vel ſuperſtitione, vel indignitate, nunc allicitur, nunc arridet, nunc iraſcitur, nunc ingemiſcit. Non miraberis iam hunc lectorem libris ſuis dies integras, noctesque, affixum teneri, neque rerum cognoſcendarum ſtudio vnquam ſatiari. Eousque enim mens cum oblectatione rebus adhaereſcit, quousque aliquid inuenit, quod agat, quod videat, quod tanquam nouum miretur; vbi vero inanis, nihilque mota, a rerum contactu redit, tunc demum ſatietas, tunc nauſea, ſequitur. Siberum, igitur, qui pro acutiſſimo ſuo ſenſu ſemper aliquid noui in libro, ſaepiſſime quamuis lecto, reperiret, ſemper noua voluptate auctus a libris diſcederet, nunquam legendi taedium potuit occupare.

Fontem diligentiae Siberi inſpeximus: iam, quid ſua diligentia profecerit, diſpiciamus. Nullam enim actionem, praeſertim frequentem et cum inſigni temporis diſpendio coniunctam, prudenti, nedum docto, homine dignam cenſeo, niſi, poſtquam confecta eſt, vtilia quaedam veſtigia in animo impreſſa

preſſa relinquat. Quamobrem ipſa librorum perpetua lectio, etſi innocens ſit, et honeſta, quam praebet voluptatis, vſura ſatis ſe commendare videatur, a vanitatis tamen culpa abſolui non poteſt, niſi, poſitis libris adhuc, et finita, proſit. Hinc multi id agunt, vt breui tempore plenos pugillares, et ſpiſſa aduerſariorum volumina, ingens ſcilicet diligentiae praemium, reportent, certe, ne omnis lectionis fructus cum ipſa lectione finiatur, quae animo et memoria tenere non poſſunt, chartis ſuis retinenda tradunt, et quoddam cogitationum ſuarum tabularium, ſaepius male ordinatum exſtruunt. Hoc quidem haud paucis expedit. Siberus vero ex iis rebus, quas legit, pauciſſimas calamo ſignauit, plerasque mente ac memoria comprehendit. Quod etiamſi multum admirationis habeat, non tamen naturae, quae humanae menti ineſt, modum ita excedit, vt tanquam confictum credi non poſſit. Hoc enim, vt rem diutiſſime teneas, et quam citiſſime dimittas, vnum intereſt, vt vel praeſentem, integram, ſuisque coloribus diſtin-

ctam, vel contra obſcuram, et debiliorem, rei imaginem animo conceperis. Quemadmodum ergo res, quas viſu audituque perceperunt, vel mediocri memoria praediti facile retinent, ſic noſter, cui rerum lectarum non minus lucidae, ac ſi iſtas vidiſſet, notiones obuerſabantur, nullo negotio, ſententias, perſonas, res geſtas, memoria complectebatur. Vide igitur, quid indefeſſa ſua diligentia Siberus conſecutus ſit, nempe vt tot illuſtrium virorum merita, tot prouinciarum vrbiumque celeberrimarum fata, tot hominum recte maleque facta et inopinatos caſus, tot optimorum ſcriptorum ſententias, tot rerum admirandarum, ac magnitudine aut pulchritudine poſteritati memorandarum, exempla, ſemper in conſpectu, ac ſicubi horum quid ad vſum expromendum eſſet, in promptu habuerit, vnde quam multam ac variam vtilitatem, in omni, quam poſthac vixit, vita reportarit, ex hiſtoriae noſtrae, cuius filum pertexímus, ordine conſtabit.

His quadrageſimum annum agens Siberus animi virtutibus excelluit, quas etiamſi iamiam

in

in frequenti Sneebergenſium ciuitate multo cum auditorum fructu, et ad ſacri muneris ſplendorem, quotidie explicaret, dignae tamen erant, quarum praeſtantia ex ipſa, cui prodeſſet, coetus magnitudine cognoſceretur. Ita enim lumen, quamuis eius denſitati ex ſpatiorum, quae illuſtrat, amplitudine, nihil accedat, ex loci tamen, vnde quamplurimas res radiis ſuis attingere poteſt, opportunitate, maiorem ſplendorem, vel potius maiorem ſplendoris laudem, conſequitur. Plurimum certe reipublicae intereſt, vt quisque, ſi praeſertim excellentiori ingenio ſit praeditus, ea in prouincia collocetur, ad quam exornandam eſt aptiſſimus, et in qua, ſi eam teneat, omnes ſuas dotes ad vtilitatem publicam promouendam transferre poteſt. Rectos igitur ingeniorum aeſtimatores eſſe decet, officiorum publicorum antiſtites, eaque induſtria praeditos, vt in ipſo ambientium populo non minus quaerant, quam quaerantur. Obtigit haec Sibero felicitas, vt iis, quae ſacerdotem ornarent, rebus ea tempeſtate floreret, qua reipublicae Lipſienſis cla-

uum viri, iſtam, quam diximus, prudentiam eximie callentes, tenerent. Antiqua autem ſplendidiſſimi Senatus Lipſienſis, et in hunc vsque diem conſeruata, eſt gloria, magna ſua ſapientia, ingenti ciuium et reipublicae amore, immenſa amplificandae ornandaeque vrbis cura, et autoritatem apud ſuos tueri, et admirationem aduentantium hoſpitum ſibi conciliare. Nemo enim eſt, qui celeberrimi huius emporii moenia ſubeat, quin ſuburbii amoenitate, pulchritudine vrbis, templorum ornamentis, religionibusque a grauiſſimis viris adminiſtratis, et capiatur, et in magnam Patrum, quorum exemplo, voluntate et conſilio haec conſtituta ſunt, exiſtimationem rapiatur. Hic igitur Senatus, cum anno huius ſeculi vndecimo, Templo Thomano diaconum pro ciuium dignitate ſatis eloquentem, pro ſede literarum, quae iisdem moenibus comprehenditur, ſatis doctum, pro magnitudine populi, cuius curam ſuſciperet, ſatis induſtrium, quaereret, Siberum multorum laudibus ſibi commendatum circumſpectat, ſpectatumque in venerandum

ſacer-

ſacerdotum Lipſienſium collegium recipiendum decernit. Decreti vero ſententiam cui obtemperans Siberus noui officii et munia, et emolumenta, circa feſtum Epiphanias dicti anni adiit, mox ſtudium totius ſequebatur ciuitatis, quae quanto Siberum amore obſequioque proſecuta, tanto conſenſu ſapientem patrum voluntatem approbaſſe cenſenda eſt. Nec minus noſtro, quam vrbi, beneuolentia Senatus profuit, quippe cuius beneficio in illam felicem ſedem translatus eſt, in qua nullae ad paſcendum bonis literis animum dapes ipſi deeſſent. Quae enim tanta optimorum librorum auiditas vel fingendo cogitari poteſt, quin patentibus Lipſiae publicarum Bibliothecarum opibus, paratisque inſtructiſſimarum tabernarum librariis mercibus, ſummaque vnde libet libros aſportandi facultate, ſatiari queat. Data igitur diuino nutu ſibi felicitate Siberus ab iſto tempore fruebatur, reſtinguendo, qua flagrabat, lectionis ſiti, nulliſque ſumptibus parcendo, vt, quotquot ad Hiſtoriae Eccleſiaſticae cognitionem aliquod adiumentum afferrent,

bonos

bonos autores, quam citiſſime in domo ſua congregatos haberet, horum demum quotidiano facilique conſortio, ſolidam, ſi quae in caducis noſtris rebus datur, voluptatem ſe conſecutum eſſe exiſtimans.

Notandus inprimis eſt incrementa Siberi enarranti, annus huius ſeculi decimus quartus, quo, poſtquam, Diaconi medii muneri admotus, paullo altiorem ſacerdotii gradum conſcendit, Licentiati Theologiae priuilegiis a ſumme venerando Theologorum Lipſienſium ordine auctus eſt. Nec minus in fortunis huius anni, niſi forte primo loco, commemorandum eſt, quod corpori Academico, huiusque grauiſſimo Theologorum ordini, adſcriptus fuerit, conſtituta hanc in rem a Patriae patre noua *Antiquitatum Eccleſiaſticarum Profeſſione.* Cuius officii memoria, quousque vel in noſtri, ſi qui erunt, ſucceſſoribus, vel in Academiae Lipſienſis Annalibus exſtabit, eousque et vltra, memoriam ſtatoris literarum conſeruari par eſt, ad cuius incredibilem in Siberum indulgentiam huius Profeſſionis incunabula referenda ſunt,

Iohan-

Iohannis Aegidii Alemanni. Inclytus hic in aula Regia et Electorali Saxonica Status Miniſter, multas inter excellentiſſimasque virtutes, eximio in literas amore vigebat, vnde, velut ex fauſtiſſimo ſidere, multa ac varia in literarum cultores bona defluxere. Id quod Siberi exemplo cognoſcas. Hunc enim Alemannus ornandae ſimul Academiae, et Eccleſiae, parem iudicans, metuensque, ne gloriae, quae ex Sibero in Saxoniam redundare poſſet, aliqua pars interciperetur, virum huiusmodi Academiae Lipſienſi aliquo vinculo coniungendum putauit, huicque rei, pro ſingulari, qua pollebat, ſapientia atque autoritate ita proſpexit, vt Siberus, ſine cuiusque iniuria, Patribus Academiae aſſociaretur. Sic diuus heros amando ornandoque Siberi dotes, digna ſplendore ſuo induſtria perfunctus, et morem ipſius Numinis quodammodo imitatus eſt, quod hominibus longe infra ſuam maieſtatem poſitis, non alia de cauſa, quam ob qualescunque virtutum ſcintillulas bene cupit, indulgentiſſimumque ſeſe praebet.

Hos

Digitized by Google

Hos fortunae Siberianae ſtatores eo minus ſilentio praeterire debui, quo magis ipſe Siberus, quoad vixit, omnibus meritorum ſuorum magnitudine conſpicuis viris, nedum beneficiis ſibi coniunctis, obſequium gratamque mentem teſtari annisus eſt. Eſt vero haec quam maxima, et graui viro dignisſima, benefactorum remuneratio, ſpem de ſe conceptam non fallere, expectationem contra bene de nobis ſentientium explere, vel etiam ſuperare. Dum igitur Siberum gratum deſcribere volo, nihil aliud, quod exponam, quam ipſam eius vitam, habeo, poſt ſplendidiſſimorum muniorum acceſſionem, ad fatalem vsque, et quem poſtremum habuit, diem, alternos inter ſacros, literariosque, labores, maxima vtrinque laude, transactam. Cognoſcant igitur lectores, qualem tum in Eccleſia, tum in Academia, quarum vtraque Siberum ſibi vindicabat, ſeſe praeſtiterit. Id certum eſt, pleroſque, quibus eum e ſuggeſtu myſteria diuina explicantem, ſtudiumque pietatis ſuadentem, audiendi facultas obtigit, non ſolum earum rerum, quae

orato-

oratorem conſtituunt, nihil deſideraſſe, ſed etiam ſingularem eloquentiae formam in eius ſermone deprehendere ſibi viſos eſſe. Certe haud pauca, quae oratorem mirifice iuuant, maxima habuit, bonitatem memoriae, linguae velocitatem, vocis grauitatem cum ſuauitate coniunctam, quibus vel ſingulis eloquentiae laudem omni tempore multi conſequuntur. Cum vero nihil magis oratori ſit neceſſarium, quam vt res, de quibus ad perſuaſionem diſſerere cupit, probe perſpectas, atque ante oculos poſitas, habeat, noſter pauciſſimos ſui ſimiles dicendi artifices habere putandus eſt, qui ſcilicet tantum, quantum ipſe, rei, quam in oculis ſuorum exponunt, conſpectu moueantur. Accidit vero his oratoribus, vt nonnunquam, quod cogitando ſentiunt, non perinde auditu ab omnibus intelligatur, quemadmodum oratorum princeps, Caeſari collaudando intentus, metuere ſe fatetur, ne, quam ipſe verbis ſuis adhaerere putaret, vim non omnes ſatis ſentirent, idque oratori ſacro eo crebrius accidit, quo plures ſuo coetui admixtos auditores

ditores habet, qui rerum diuinarum ſuauitatem, cordisque humani pios motus, quos frequentiſſime tractat, nunquam deguſtando cognouerunt. Pertinet tamen hoc ad orationis reconditi quid habentis laudem, cuius pulchritudinem, qui non perfecte capiunt, eo tamen, quod capiunt, multum commouentur, praeſertim ſi accedat ſermonis vehementia, qua tantum non omnes Siberi feruebant orationes. Non potuit enim non eius animus res grauiſſimas, et ad ſalutem hominum pertinentes, diu contemplans, ac cogitatione non ſolum, ſed et lingua, perſuadendique cupiditate, tractans in affectum abripi, ex quo concitatum ſermonem, grauiores voces, caeteraque animi commoti ſigna, ſponte ſua conſequi, nemo eſt, qui ignorat. Nihil autem iucundius eſt, quam oratori aſſiduum ſe praebere, qui digna rerum pondere verba vultu, ac voce, iuuet, et, quas animo agitat, ſententias, non loquatur ſolum, ſed et toto corpore ſpiret. Cum vero duo in oratore ſacro ſpectanda ſunt, quas doctrinas proponat, et quomodo hoc, quod

expli-

explicatu eſt difficilius, quale in Sibero fuerit, expoſui, alterum ex eo, quod de doctrina eius Theologica dicemus, haud difficulter intelligetur. Eas enim res, quandocunque dicendi neceſſitas nobis imponitur, lubentiſſime proferimus, quas maxime tenemus, ita vt etiam tunc, cum ad obiectum quoddam peregrinum tractandum neceſſitate adigimur, inuita iſta cogitationum noſtrarum ſeries, nobis vix ſentientibus, ab inſueto itinere deflectat, inuentoque tranſitu ad familiares noſtras notiones redeat. Sacer igitur orator, cum diuina oracula populo auſcultanti pandit, adſcitisque humanarum cogitationum inuolucris, auditorum captui, locis itidem et temporibus, accommodata reddit, ex illis doctrinae fontibus ſua lubentiſſime deſumit, quibus ipſe potiſſimum nutritus eſt. Inerat autem Sibero excellens dogmatum ſacrorum notitia, quam, vti ex praeſtantiſſimorum Theologorum, quos ante commemorauimus, lectionibus iuuenis hauſit, ita ſedula optimorum librorum lectione magis magisque confirmauit. Neminem

Digitized by Google

autem cuius monumentis plus delectaretur, chariorem habuit, Martino Chemnitio, quippe quem, nec ſubtilitatum ſpinis horridum, nec neglecta ακριβεια laxum, ſed probationibus concinnis, teſtimoniisque antiquitatis, ſicubi opus eſt, fultum, ac dogmatum origines diligenter recolentem, deprehendit. Potes hinc Siberum Theologum ex eo, quem maxime amauit, Theologo, cognoſcere, quandoquidem noſtra cum mortuis amicitia, perinde vt mutuus viuentium fauor, ingeniorum ac doctrinarum ſimilitudine nititur, ac continetur. Quae igitur ex puriſſimis fontibus hauſit dogmata, puriſſima auditoribus tradidit, admixtis ſemper elegantiſſimis morum praeceptis, quorum inexhauſtam copiam, ex lectione tum ſcripturae, tum Patrum Eccleſiae, tum librorum Aſceticorum, comparatam habuit. Hi vero veluti orationum ſacrarum ſunt nerui, dogmata et doctrinae morum, quos, ſi robore teſtimoniorum firmes, exemplis et rationibus pleniores efficias, ſplendore denique verborum circumdes, nihil ſupereſt, quod ad orationis perfectionem deſiderari poſſit.

Non

Google

Non male vulgo ex orationum publicarum indole de caeteris ſacerdotis dotibus iudicium fertur. Nec enim alio facilius loco, quam e ſuggeſtu, omnium fere partium, quibus officium ſuum conſtat, vna hora experimentum dare poteſt. Docet ſcilicet ſacerdos in ſuggeſtu conſtitutus. Quid vero aliud, quamcunque muneris ſui partem, praeterquam ſacrorum diſpenſationem, exſequatur, agit, quam idem illud, nempe vt doceat. Conſolari enim poenitentes, minitari pertinacibus, erigere afflictos, conciliare inimicos, benedicere moribundis, totidem ſunt doctrinarum genera, quae in ſermonibus publicis ad omnium, in priuatis, ad ſingulorum, vtilitatem expromuntur. Nolo hinc per ſingula officii ſacri munia eundo, quam diſertum, quam fortem, Siberus vbiuis ſe praeſtiterit, prolixius exponere. Satis eſt Siberum Sibero comparare, eundemque grauem, pium et doctum, oratorem e ſuggeſtu in confitentium ſacellum, ad conſultantium colloquia, et ad aegrotantium lectulum cogitatione ac mente transferre.

Liceat mihi cuius vitam ſcribo, eius morem ſcribendo imitari, et a ſacris Siberi laboribus ad literarum ſtudia reuerti. Diligentiam viri ſemel iterumque collaudaui, ita tamen vt plura ad eiusdem virtutis laudem ſpectantia mihi reſtare intelligam. Diſcentem enim magis, quam docentem tunc lectoribus exhibere animus fuit. Neque tamen putes puerile eſſe diſcentis nomen, quod de doctiſſimo quoque viro recte dicitur. Quousque enim legimus, rebusque lectis nihil mutatis adhaereſcimus, eo, quod tum res nobis magis offeruntur, quam ex animo noſtro expromuntur, diſcentibus ſimiles ſumus; cum vero quae ex doctorum virorum monumentis hauſimus, notiones diuidimus, coniungimus, in varium Syſtema redigimus, eoque quod noſtrum ſit, aliquid efficimus, tunc ad ſplendidum doctoris nomen viam gradumque nobis paramus. Videntur equidem rei hiſtoricae ſiue Eccleſiaſticae, ſiue ciuili, dediti reſtrictiori prae caeteris eruditis cogitandi facultate gaudere, ideo quod rebus geſtis nihil addere, nihil detrahere audent,

dent, quin prouti res, teſtimoniis confirmatas, a maioribus acceperunt, ita nihil immutatas tradere neceſſe habent. Eſt enim Hiſtoricus vniuerſi, eorumque inprimis, quae in immenſa hominum turba contingunt, ſedulus ſpectator, qui, quod vel ipſe vidit, vel ab idoneis teſtibus relatum accepit, in tabulas refert, ad poſteros, tanquam ſeculorum praeteritorum indices, transmittendas. Confectis igitur his tabulis, inquis, quid tandem eſt, in quo Hiſtoricus ingenii vires cum dignitate tentare, nouaeque doctrinae laudem, ſi fingere non velit, reportare poſſit? Multa ſane ac varia, ex quibus, quod potiſſimum mihi videtur, indicabo. Summa, quae in noſtris naturaeque vniuerſae rebus viget, varietas, eo tamen ordine temperata eſt, vt paſſim quaedam res ſimiles, vel continua ſerie, vel interiectis temporum et locorum interuallis, exiſtant. Sic videas principis familiam iisdem regionibus per multa haud raro ſecula imperare, Epiſcopos vrbis et prouinciae ſacra perpetua nonnunquam ſerie moderari, errores et ſuperſtitio-

nes aliquot ſaepe hominum generationes faſcinatas habere, renaſci etiam quandoque, ſi delatae fuerint, et priſtinum vigorem recuperare, mores et conſuetudines, in variis terris, et integris ſeculis regnare, ac tantum non tyrannidem exercere. Vtiliſſimum autem eſt, integras rerum hiſtorias, et ex omnibus omnis aeui monumentis collectas, atque in corpus apte cohaerens redactas, exſtare, quibus non ſolum animus, veluti iucundiſſimis ſpectaculis, oblectatur, ſed et, ad integritatem totius ſyſtematis Hiſtorici, ingens adiumentum affertur. Sed hic Hiſtorici non ſolum labore, ſed et ingenio, opus eſt, vt per tot volumina ſparſas hiſtoriae ſuae particulas colligat, latentes eruat, disiectas ordinet, male cohaerentes conglutinet, hiantes coniecturis ſuppleat, ita denique continuo narrationis filo obducat, vt lector per tanta ſeculorum locorumque interualla, ſe non volitare, aut ſaltu traiicere, ſed aequabili greſſu procedere, ſibi videatur. Intelligetur ſic fortaſſis, quid Siberus, cum a libris legendis receſſit, ipſe egerit, quid ſecum animo

voluta-

volutarit, et quod doctrinae genus ab hoc doctore proficiſci potuerit. Nempe virorum, quos aut nominis, aut officii, aut vitae religionumque ſimilitudine, iunctos eſſe meminit, concilium veluti cogitando format, cuique ſuum locum aſſignat, vnum alteri comparat, eoque non ſolum, ne, quod in multitudine fit, confundantur, cauet, ſed et ſingulorum merita vitiaque rectius inſpicit. Huiusmodi rerum hominumque imagines Siberi animo obuerſatos eſſe ſcias, cum Alemannorum, Godeſchalcorum, Macariorum, Stylitarum, Sixtorum Pontificum, Epiſcoporum Theſſalonicenſium et Caeſareenſium, reliquias aut cogitaret, aut perſcriberet.

Duplici igitur, eaque ſempiterna, laude floruit, et adhuc floret, Siberus, paſtoris fideliſſimi, doctoris eruditiſſimi, quae vtraque tantam ſuauitatem ac ſplendorem habet, vt cuiusuis duriſſimi laboris pretio expetenda videatur. Fit autem plerumque, vt qui maximo labore in gloria aucupanda enituntur, hanc tardius conſequantur, qui contra minime eius auidos ſe praeſtant, ſponte ſibi

oblatam experiantur. Eſt enim gloriae fons recta et praeclara actio, quae ſi ex inſita menti virtute fluat, in ipſo, qui videtur, labore voluptatem inuenimus, ſin vero ad pompam et fallendos homines, renuente natura ſuſcipiatur, cum taedio gemituque coniuncta eſt, viamque ipſam ad gloriam reddit arduam atque moleſtam. Non magno pretio, ſuae, quas reportauit laudes, Sibero conſtant. Quicquid enim ad gloriam obtinendam idoneum egit, ita egit, vt nihil eorum, tanto praemio non propoſito, omiſſurus fuiſſet. Noctes legendi ſtudio inſomnes agere, orationes quam plurimas ad populum habere, ſcriptorum edendorum cauſſas quaerere, omnibus, quibus animarum cura continetur, officiis ſtrenue fungi, et familiare et pro voluptate habuit. Credo multum ipſi vbiuis profuiſſe virtutum principem, amorem, quo quemque, prouti vel neceſſitudinis vinculo, vel ſuis meritis, vel beneficiorum memoria, aut officii iure, ſibi iunctus commendatusque eſſet, proſequutus eſt. Etiamſi enim a molliori illa, temporisque voraciſſima, amici-

amicitia, quae in aſſiduas confabulationes, crebrasque conuiuiorum hilaritates, deſinit, eſſet alienior, verae tamen amicitiae, quo patronis cultum, obſequium amicis, implorantibus opem ferimus, tenerrimo ſenſu afficiebatur. Loquuntur id tot ſcripta, quibus ſummorum virorum nunc lugubres caſus collacrymauit, nunc auſpicatos iis congratulatus eſt: tot epiſtolae, quibus amicis Encomiaſten ſeſe praebuit, et variam ipſorum ſortem participando honorem habuit: tot beneficia, quorum amplitudine laborantes multorum res ſubleuauit.

Dulciſſimum iuſtiſſimumque amoris, quo ſapiens flagrat, praemium eſt amari, vt appareat, animos hominum, praeter id, quo oculorum ſermoniſque vſu in mutuam beneuolentiam coniunguntur, aliud adhuc arcanum intercedere vinculum, quo ad eum, qui nobis bene cupit, amandum cogimur. Videas enim ſaepe viros exigua benefaciendi facultate inſtructos, multorum tamen non ſolum amicorum, ſed etiam, ſi id in priuatae fortunae hominem cadit nomen, clientum

turba ſtipatum eſſe: potentiores autem ſaepe ciues, quibus omnes ſuas fortunas haud pauci debent, ambiri quidem a multis, neceſſitate ductis, a pauciſſimis tamen amari; quorum neutrum fieri poſſet, niſi non tam beneficio, quam beneuolentia benefacientis ad amandum inuitaremur.

Meruit igitur Siberus, qui proſperis aliorum fortunis quam maxime delectabatur, vt plurimi ipſius felicitatem, repenſo optimae voluntatis pretio, vel auctoritate ſua, vel fauore, vel ſtudio boniſque votis, adiuuarent, nec meruit ſolum, ſed et id, quod meruit, conſequutus eſt. Redeundum hic inprimis mihi eſt ad Ampliſſimum Senatum Lipſienſem, qui, quantum a noſtro colebatur, tantum vt ipſi bene eſſet, omni ſtudio anniſus, nullamque, qua eius fortunae amplificari poſſent, occaſionem elabi paſſus eſt. Praeter caetera enim honoris incrementa iam enarrata, tum Archidiaconi dignitatem anno trigeſimo, tum Paſtoris Thomani ſpectatiſſimum munus anno trigeſimo nono ipſi impoſuit, plurimaque eximiae erga Siberum, iam

iam ſenectute quoque venerandum, beneuolentiae documenta dedit. Iam ſi ſingulos, qui magna doctrinae et meritorum in Eccleſiam opinione Siberum proſecuti ſunt, enumerare vellem, permulti illuſtrium et ſpectatiſſimorum virorum tituli, tum eruditi partim Saxonici, partim exteri, mihi excitandi eſſent, quos vel magna erga ſe gratia, vel literarum commercio, ſibi iunctos habuit. Inprimis vero vniuerſus populus Lipſienſis me obteſtari videtur, vt ſui in Siberum cultus atque obſequii non leuem mentionem faciam, cum nihil eorum omiſerit, quae a piis auditoribus deſiderari poſſunt. Peroranti enim ſtudium, obiurganti obedientiam, animas curanti gratitudinem, aegrotanti dolorem, mortuo deſiderium multis modis teſtatus, et magnam eius doctrinam, hinc ſuo iudicio cognitam, hinc eruditorum ſermonibus laudatam, valde miratus eſt.

His ingenii dotibus, hac admirandae diligentiae laude, hoc omnium bonorum fauore ad ſeptuageſimum ſecundum vsque aetatis annum floruit, nulla in re vel longitudine tempo-

temporis, vel ſenectutis grauitate, damnum paſſus, et a fortuna nunquam grauiter laeſus, cuius ab ictibus, quantum humano conſilio effici poteſt, res ſuas munitas habere voluit. Non feſtinandum ad dignitates, ſed expectandas ratus, repulſam non tulit. Litibus inimicus, ne cauſſa caderet, quod vereretur, non habuit. Aduerſarii potentioribus fortunis ne premeretur, pacem cum omnibus coluit. Lucri ſpe ne excideret, opes, niſi veluti ſponte ſua natas, non concupiuit. Familiae damnis ne quateretur, caelebs vita, non ſuperſtitione, nec odio ſexus, ſed conſilio, ducta ipſi profuit. Rei familiaris turbis ne agitaretur, neque multos domeſticarum rerum miniſtros, neque ſupellectilis copias aluit, vt in domo eius, praeter librarias opes, et aulaea deliciis ſuis, antiquitatum monumentis, columnis Stylitarum, cruciatibus martyrum, picta et imagines clarorum virorum, Vrbanorum Pontificum, vix quicquam pretio dignum videres. In iis autem quoque rebus, quibus ſapientia hominum proſpicere non poteſt, fortunam

ſi non

ſi non vbiuis ſibi blandientem, nec tamen inimicam ſuis rebus, ſenſit. Sanitate et robore corporis firma per omnem vitam vſus eſt. Neceſſitate ſibi iunctos in amorem erga ſe et cultum procliues expertus eſt. Honorum acceſſiones, non citatas quidem, eas tamen habuit, quibus maiores non expeteret. Vrbem, cuius ſalutem maxime precatus eſt, Lipſiam, opibus et ornamentis creſcentem, patriae ſtatum nunquam turbatum vidit. Eſt autem mortis etiam quaedam felicitas, partim in tempore, partim genere, mortis ſita, quae vtraque Sibero obtigit. Correptus enim nuntia mortis apoplexia ea nocte, qua rerum diuinarum contemplationum pleniſſimus lectum petierat, quippe poſtero die, et verba ad populum, ipſo Feſto Pentecoſtali huius anni, facturus, et ad ſacram Synaxin acceſſurus. Per menſem non integrum, quo decubuit, nullum doloris, nullum fractae mentis, ſignum dedit, ſed placida morte XIV. Cal. Iuniis obiit, feliciſſimo tranſitu immortalitatem conſecutus, mortalibus magnum ſui deſiderium, ac poſte-

poſteritati magnam famam, vna cum ſcriptis ex ſe genitis, relinquens, quorum ſeriem, manibus Siberi, tanquam pulcherrimum, et duraturum, monumentum imponemus.

SERIES
SCRIPTORVM SIBERIANORVM.
EDITA.

ΣΚΛΗΡΟΚΑΡΔΙΑ. a) ANANCAEVM. b) CHRYSOSTOMVS. c) VICISSITVDINES LIBERTATIS ET SERVITVTIS BRITANNIAE. d) MOLY HERMETIS HERBA. e) STATVA MEMNONIS. f) DVCENARII. g) CIVITATIS SNEEBERGENSIS LAVDES. h) VELVM VIRGINVM SACRARVM. i) DIES CINERVM. k) IVBILAEVM III. ACADEMIAE LIPSIENSIS. l) COLLARIA CLERICORVM TVBVLATA ET PLANA. m) ILLVSTRES ALEMANNI. n) MARTYRES DIVINITATIS CHRISTI TESTES. o) MATRIMONIVM ITERATVM. p) QVALIS IMPERANTIBVS EXPEDIAT VXOR. q) AQVA BENEDICTA BRVTIS NON DENEGANDA. r) CANIS EX TEMPLO EXTERMINANDVS. s) GODESCHALCI. t) ALBA-

ALBATI. u) TELESPHORVS PONTIFEX. x) HISTORIAE MELODORVM GRAECORVM PROLEGOMENA. y) SANCTI COLVMNARES. z) APOSTASIA PORPHYRII. aa) GAZA EIVSQVE EPISCOPI. bb) TEMPLORVM CONDENDORVM ET DEDICANDORVM RITVS. cc) MORI ET SALI PROPTER CHRISTVM. dd) S. SPYRIDION EPISCOPVS TRIMITHVNTINVS. ee) ENCHIRIDION SIXTI II. ff) MARTYROLOGIVM ECCLESIAE GRAECAE METRICVM. gg) EPISCOPI CAESAREAE PALAESTINAE. hh) DOCTORATVS THEOLOGICI ANTIQVITAS. ii)

INEDITA.

S. DANIELIS STYLITAE VITA ILLVSTRATA. GENESII HISTORIA BYZANTINA IN LATINVM TRANSLATA. VSVS FLORVM IN ECCLESIA. EPISCOPI ANTIOCHENI. MACARII. MELODI GRAECI ET LATINI. SACERDOS NIGRA CHIROTHECA INDVTVS. CRVCIATVS MARTYRVM. SVPPLEMENTA HAERETICORVM. GLOSSARIVM LIBRORVM RITVALIVM. VII. ECCLESIAE ASIATICAE. PISCES BRVNDVSINI. BACVLVS THAVMA-

TVR.

TVRGVS. CLARI MARTINI. PONTES. EPISCOPI THESSALONICENSES. ALIA.

a) *Viteb. 1697. 4.* b) *Viteb. 1698. 4.* c) *Viteb. 1698. 4.* d) *Sneeb. 1698. 4.* e) *ibid. 1698. 4.* f) *ibid. 1700. 4.* g) *ibid. 1699. 4.* h) *ibid. 1702. fol.* i) *ibid. 1708. fol.* k) *ibid. 1708. fol.* l) *ibid. fol.* m) *ibid. 1710. 4.* n) *Lipſ. 1710. 4.* o) *ibid. 1711.* p) *ibid. 1712. fol.* q) *ibid. 1712. fol.* r) *ibid. 1712. 4.* s) *ibid. eod. 4.* t) *ibid. 1713. 4.* u) *ibid. 1713. 4.* x) *ibid. 1714.* y) *ibid. 1714. 4.* z) *ibid.* aa) *ibid. 1715.* bb) *ibid. 1715. 4.* cc) *ibid. 1716. 4.* dd) *ibid. 1718. 4.* ee) *ibid. 1718. 4.* ff) *ibid. 1725. 4.* gg) *ibid. 1727. 4.* hh) *ibid. 1734. 4.* ii) *ibid. eod. 4.*

INDEX.

INDEX.

A.

ALbati Pag. 367
Alemannus 349
Alemanni 366
Aeſchyli locus ex Scholiis emendatus 25
Analogiam habere, quid ſit, explicatur 197
Anancaeum 366
Animae arcana 154
Antiquitates dogmaticae 281
Theologo ſcitu ſunt neceſſariae 282
Apprehenſionis notio 209
Aqua benedicta 366
Ars exegetica, quae fata habuit 44. 45
ἱςορικη olim dicta 52
Attributorum definitio 175

B.

Beſſarion Cardinalis, Codicum graecorum collector 46
Bibliotheca Scholiaſtarum vniuerſalis 5

C.

Zacharias Calliergus 47
Canis ex templo exterminandus 366
Carteſiani realitatem notionum negligunt 155
Cato 123. 144
Ceremoniae Eccleſiaſticae 267
Characteris moralis explicatio 165

Mart. Chemnitius formulas Eccleſiaſticas explicat 283
Patribus Eccleſiae debitum honorem habet 285
Ciuilitas Eccleſiaſtica 359
Codices MSS. picturis ornati 59
quales habeant interpunctiones 30
Collaria Clericorum 366
Collegium Graecum Romanum 47
Concordiae in Eccleſia obſeruandae media 266
Confucius 123
Controuerſiarum inter doctos homines agitatarum indoles 155
Corporis humani definitio

D.

Definitionum Theoria quomodo illuſtranda 132.
regulae quaedam ſpeciales illuſtratae 134.
formulae quomodo commutandae 137
Determinationes conſtantes 175
mutabiles ibid.
Dies cinerum 366
Digeſtorum laudes 165
Diſponere de re quid ſit 224
Diuerſorum definitio 184
Doctrinae puritas quomodo conſeruanda 265
Dogmata Philoſophorum ex Poetarum ſcriptis repetenda 87
Dominii definitio 226
Ducenarii 366

E. Epi-

E.

Epiſcopi Antiocheni 367
  Caeſareae ibid.
  Gazae ibid.
  Theſſalonicenſes 288. 368
Errorum quaedam vtilitas 148
  progreſſus quomodo impediendus 156
  in Eccleſia progreſſus quomodo impediatur 265
Eſſentialium definitio 176
Euacuationis definitio 211
Euſtathius 40
  notatus 41. 42
  laudatus 56

F.

I. A. Fabricii merita in Scholia Graeca 5
Fabularum ſenſus allegoricus 54
Flores in eccleſia 367

G.

Gazae epiſcopi 367
Generatio animalium quid ſit 168
Geneſii hiſtoria Byzantina ibid.
Genius ſeculi 151
Gentium Iura 156
Geometrae realitatem notionum inquirunt 155
Godeſchalci 366
Graecorum autorum vitia 67

H.

Harmonia praeſtabilita I. Clerico diſplicet 126
  non eſt miraculum perpetuum 169

Hiſtorici notati 151
Homerus fons ſtili Poetici 58

I.

Iudiciorum ſublimitas explicata 117
Iuris definitio 213
Iuris naturae praeſens ſtatus 147
Ius naturae Athei 153. 158
Iuſtitiae definitio 143

L.

Laeſionis definitio 228
Io. Laſcaris, praeſes Collegii graeci Romani 47
Legiſlatoris conſtantia 154
Leibnitii ſententiae 143. ſeq.
principia qualia ſint 149
Librorum deperditorum notitia vtilis 85
Logicae nouae quaedam ſpecies 162

M.

Macarii 367
Marcus Maſurus 47
Mare liberum 233
Martyres diuinitatis Chriſti teſtes 366
Melodi Graeci 367
Memnonis ſtatua 366
Metaphyſica a ſcholiaſtis tacta 51
inſtar Lexici quondam tractata 148
quibus principiis poſitis realis fiat 158
Metri in emendandis Poetis vſus 27
Miraculorum finis 159
Modorum definitio 177

Modus

Modus coexiſtendi 186
ſuccedendi ibid.
Moly 366

N.

Neceſſitas 147
Notiones ſublimes 107
Notionum poſſibilitas 155
realitas a Carteſianis neglecta ibid.
Nummi ex ſcholiis Graecis illuſtrandi 85

O.

Obligationis variae notiones 115. 116
Occupationis definitio 210
Occupationis clandeſtinae definitio. 222
Ordinis definitio 189

P.

Patrum contemptus 151
Perceptionum analyſis 145
origo 170
Perfectae diſpoſitionis definitio 224
Perſuaſionis cauſſae 150. 152
Pindari locus e ſcholiaſta emendatus 26
Piſces Brunduſini 368
Poema Dithyrambicum 30. 36
Poenarum neceſſitas 154
Politica Eccleſiaſtica 270
Porphyrii Apoſtaſia 367

Poſſeſſio ciuilis 212
clandeſtina 222
impropria 234
momentanea 216
naturalis 210
propria 234
vitioſa 223
Proceſſus iudiciarii natura 167
Prudentia Eccleſiaſtica 262. 289
Puffendorffius notatus 167
illuſtratus 200
de habitu eccleſiae ad rempublicam differit 265

R.

Ratio 146
Ratiociniorum ſublimitas explicata 117
Res vacua definitur 211

S.

Sancti columnares 367
Scholarum neceſſitas 270
Scholiaſta Aeſchyli 15. 25. 37. 49. 52
Ariſtophanis 22. 24. 56
Euripidis 15. 28. 32
Homeri 14
Lycophronis 14. 52
Pindari 26. 28. 33. 35. 52. 65. 95. 98
Sophoclis 15. 47. 52
Theocriti 21. 52
Thucydidis 4

I. C.

I. C. Schomerus, quid per politicam eccleſiaſticam intelligat 270
Scientiae definitio 104
Senatusconſulti: *caveant conſules etc.* finis 260
Iuſtus Siberus 328
V. G. Siberus 277. 323
Similium rerum definitio 184
Simplicitas veterum 143
Sixti II. ſententiae 287
Σκληροκαρδια 366
Socrates de Heracliti operibus iudicans 134
Spatii definitio 191
  notio ex mente Puffendorffii 192
Spatium Metaphyſicum 193
Spatium phyſicum 193
S. Spyridion 367
Status ciuilis 189
  Moralis 182
  partialis 179
  phyſicus 182
  totalis 179
Status definitio 191
Henr. Stephanus Stilum Scholiaſtarum explicat 4
Stili Scholiaſtarum indoles 11
  termini technici 37
Stoicorum fatum 157
Danielis Stylitae vita 367

Subli-

Sublime in ſcientiis quid ſit? 105
in notionibus abſtractis 107
in iudiciis et ratiociniis 117
Syſtema Harmoniae Praeſtabilitae Clerico diſplicet 127
non inuoluit perpetua miracula 169

T.

Teleſphorus 367
Temporis efficacia 169
Tempus quieſcens 221
Territorium an iure dominii teneatur? 232
Therapia Criticorum 39
Theſſalonicenſis Eccleſiae hiſtoria 288
Traditionis definitio 212
G. F. Tryllitius Bibliothecam Scholiaſtarum vniuerſalem cogitauit 5

V.

Velum virginum ſacrarum 366
Voluptatis geneſis 144
Vſurpationis definitio 237

VA 1
151 523 I

Digitized by Google

Digitized by Google

116
B
91–92.